Dissertatio Medica De Foeda Lue dicta Venerea

Förord till den elektroniska utgåvan

Denna avhandling på latin från Upsala Universitet av **Johan Lindestolpe,** född Linder (1678-1724) med **Lars Roberg** (1664-1742) som presis har digitaliserats av **SLUB i Dresden** och anpassats för Projekt Runeberg i oktober 2015 av Ralph E

Q. F. F. S.
Dissertatio Medica
DE

FOEDA LUE

dicta

VENEREA,

Quam Consensu Ampliss. Fac. Med. in Reg. Ups. Acad.
PRÆSIDE

Dn. LAURENTIO ROBERG

Med. Doct. & P. P.

Censuræ publicæ ventilandam subjicit
Regius Stipendiarius,
JOHANNES LINDER
Carlstadio-Vermlandus,

Ad diem 2. Decembr. Anno 1705. horis & loco solitis.

UPSALIS, ex Officina Joh. Henr. Werner, Acad. Typographi.

S^{æ}: R^{æ}: M:^{tis} Summmæ Fidei

VIRO

SENATORI,

ac

Regiorum Collegiorum, Cameræ & Commerciorum,

PRÆSIDI,

Illustrissimo Excellentissimoque
COMITI ac DOMINO,

Dn. FABIANO WREDE,

Musarum Patrono Maximo.

Mæcenas, Pindo Nomen Venerabile nostro, Gloria Suediaci Deliciumque soli: Cui sua Magnanimus commisit scrinia Princeps,*Qui pia Sarmaticis temperat arma plagis; Inclyta Progenies, cœloque adfinis origo, Et genus a prisca nobilitate trahens, Da mihi Te facilem, dubiis da surgere rebus, Rebus in angustis portus & ara meis. Non heic Obryzum, non Taprobanitica ligna; Ingenii fructus, munera parva, fero. Vertice cum minimas Titan dispergeret umbras, Forte tulit Regi Persa fidelis aquam,Quam propera de vicino dextra hauserat amne: Attamen eximii muneris instar erat. Accipe primitias, quas offero, fronte serena, Sint licet incultæ vilia scripta manus. In Tua sic grandes ibunt præconia laudes, Atque canam toto Nomen in orbe Tuum. Semper ego tendam junctas ad Sydera palmas, Ut Tibi lætificos explicet aura dies: Vivas* VREDIACÆ *decus admirabile* GENTIS,*Contingens Pylii secla beata senis; ln Cœlum serus redeas, & Nectara libes, Nectara, quæ nullo sunt peritura die!*

Illustrissimi Excellentissimique Nominis Tui

cultor devotissimus

JOHANNES LINDER.Q. B. V.

Cogitanti mihi specimen aliquod Academicum luci publicæ committere, meamque in Medico studio qualemcunque probare sollertiam, varia sese obtulerunt ardua simul ac maximi momenti argumenta: nullum tamen sic placuit, ac præsens, quod de LUE VENEREA inscribitur; cujus pertractatio sane, si sententiarum divortia Scriptorumque sibi contradicentium spectes discordias, perquam difficilis: non minus quam in ipsa denique decumbentium cura periculo plena, imo & interdum funesta. Ingenue fateor, mihi ne per somnium quidem obvenisse, in eruditissimo hoc consessu Medicam Dissertationem ex Cathedra publica à me defensam iri, cum ante hos quatuor annos in Celebri Aboënsi Academia ad Lauream Philosophicam olim obtinendam Exercitio Academico de *POMIS HESPERIDUM* viam mihi aperuissem: materia quidem, ut videbatur, non ineleganti, sed leviter à me & pro ratione ætatis tractata; eo tamen nomine forsan non infeliciter, quod, cum proprio diffiderem ingenio, aliorum vestigia mihi sequenda duxissem. Sed nescio quomodo contigit, ut, postquam profectiones aliquot à Clarissimo, dum viveret, Medico ac Professore D. Nic. WALLERIO privatim institutas conspexissem, genio meo ad hæcce sacra subito converso, & ad hærentem, ut fatear, ab ipfis incunabulis Artis Medicæ amorem, recurrente, huic me disciplinæ totum traderem ac consecrarem. Cujus studii has hic offero primitias, multalectione locorumque contrariantium fida collatione, inter varias rei domesticæ angustias, jam inde à puerulo mihi familiarissimas, non nisi difficulter partas ac prelo paratas. Paucissimi tamen sunt, quos in hoc argumento sequi libuit: nam ingens quidem extat apud Lipenium *Biblioth. Med. p. 189.*

Autorum in hac materia catalogus, præterquam quod & ipse plurimos undecunque conquisiverim, super illos, quos partim ex Bibliotheca Regia habere potui, partim ex Machaonum nostrorum Bibliothecis, quæ antea instructissimæ, nunc vero per funestissimum urbi incendium non nisi longo tempore aut forte nunquam reparabile damnum ceperunt. Multa porro sciens in hoc negotio præterii, ne excresceret Dissertationis moles: nonnulla, quæ lubenter inseruissem, fidissima semper comes paupertas denegavit; plurima etiam per quandam ingenii hæsitantiam negligere contigit. Tuum erit, B. L. æqui bonique consulere, quidquid hic est omissum; præcipue vero non succensere, quod nude interdum, ubi requirebat argumentum, certe non ex quadam animi prurigine, partes, quas vestes celant, nominando, deflexerim paululum ab illo more, quo in communi vita ad externam quandam civilitatem componere sermones nostros solemus. Cum enim etiam scelera, licet gravia, recte tamen nominari, & in ea secundum omnes suas circumstantias juste inquiri, videamus: hominum præterea turpia peccata & occulta sæpe, tamen suis nominare nominibus & coloribus describere liceat Oratori; quidni sperem, disceptantibus in Æsculapii porticu Medicis, bonos concessuros, ut, non quidem captandi risus, sed doctrinæ gratia, illas, quibus constamus omnes, venas nervosque nominent, quas creare partes Optimus Conditor non dedignatus est. Illius facile veniam me obtenturum, certus sum, quod sermonis siccitas, sesamo & papavere destituta, ad verborum phaleras & ornamenta pertingere nequeat: nam ornari res ipsa vetat, contenta doceri.

Caput Primum.

De variis Autorum circa Luis Venereæ ortum sententiis, ejusdemque nominibus.

Ardua sane inter Medicos agitari solet Quæstio: num Morbi nunc plures quam olim? sed ut brevis sim, facile hic sequor autoritatem Helmontii, *Tum. Pest. p. 844.* adferentis, non omnes morbos simul venisse in palæstram, sed locorum conditiones, terræ motus, alterationes corporum per commixtionem cum aliis populis, (puta post varias migrationes gentium & Imperiorum mutationes) esculenta denique peregrina, plurimosque in diæta errores, multas introduxisse stupendas ægritudines, quas ne nomine tenus vel audivit unquam, vel vidit Antiquitas. Quibus addo, dilucidationis gratia, singularem illam de Sacchar observationem, morbosque graviores redditos, postquam frequens ejus usus in Europa invaluit, fatentibus iisdem, qui hasce merces omnium maxime divendere solent, Anglis. Absque ambage Salmasius *de Ann. Climact. p. 726.* postquam, unde nova illa morborum genera antiquis ignorata Medicis, quibus humanum hodie genus vexatur, quæsiisset, cum *Indiæ mercibus ad nos invecta esse,* palam profitetur. Sed sileo alia, in conspectum hac vice solummodo producturus miserabile illud ex impuro coitu (agnoscendum enim est) exsurgens scortatorum tormentum, quod *Luem Veneream* solemni vocabulo dicimus: quæ quam variè à variis describitur Autoribus, ratione tum ortus, tum progressus, & curationis, omnem pæne fidem superat; illa tamen singula sub unum cogere conspectum tædiosum magis foret, quam utile: ad hos enim tres potissimum classes dissidentes eorum sententiæ facile referri possunt. Prima erit eorum, qui Antiquis notam hanc Luem evincere conantur: quod ad curationem morbi parum, ad historiam ejus plurimum facit. Secunda erit illorum, qui hanc primum coepisse in Neapolitana illa, hincnon minus quam belligerantium inter se memorabilibus factis, famosa obsidione, contendunt. Tertio denique loco agetur de variis utriusque Sectæ circa primas morbi causas determinandas argumentis & ratiociniis.

Qui pro antiquitate Luis pugnant, Hippocratis locum quendam adferre solent, ut ab illo exordiar: nam eorum opinionem, qui S. Jobi morbum hunc adpellavere, plane ne adtingo quidem, nec alia S. Scripturæ loca huc trahi solita, cum firmiter mihi persuadeam, horum interpretationem minime omnibus promiscue, sed iis solummodo, qui Dei quodam peculiari dono instructos sese sentiunt, suscipiendam esse. Locus autem ipse Hippocratis paulo longior inspiciendus est *lib. 3. Epidem. Sect. 3. item lib. 4.* ubi Luem hanc ita manifeste describi, (hæsitantibus interim aliis) sibi persuadet clarissimus Hippocratis commentator, Philippi II. Hisp. Regis Medicus cubicularius Franc. Vallesius Covarrubiensis, ut initio lib. 4. suorum Commentariorum sequentem in modum concludat: *Cui nunc Medicorum narraretur, alicui facta esse in capite ulcera sordida & glabritiem capitis & menti, sine febre,*

& cum exulceratione pudendorum & faucium, ac postremo nudata excidisse ossa, qui non adfirmaret esse citra dubium Gallicum morbum? Fuerunt vero in illa tempestate plurimi tales. Ob quos & multos alios affectus, qui in hoc opere, & aliis Hip. narrantur, adducor ut censeam, nihil in illo morbo esse novum, quodque priora secula non viderint. In quam opinionem inclinare etiam videtur Jansonius. *Flag. Ven. p. 6. & 7.* Antiquis item favet Thom. Philologus *De Mal. Gall. Sanand. cap. 1.* & Maynwaringius. *Hist. & Myst. L. ♀ reæ cap. 2.* Sebast. vero Aquilanus *Tr. d. M. Gall. p. 237.* antiquis sub nomine Elephantiasis cognitum putat; extitisse præterea apud veteres ægritudines à pudendis incipientes, una cum Leoniceno *Lib. d. Morb. Gall.* ex Hippocrate sibi probandum insumit, cum ille inter Cranonis civitatis morbos etiam carbunculos æstivos numeret in inguinibus exortos. Zacutusinsuper Lusitanus, *Hist. Med. Lib. 1. qu. 35. hist. 73. & Pr. Med. admir. l. 3. Obs. 94.* post varia Hippocratis & Galeni allegata loca, notum his viris hunc morbum fuisse, fidenter adserit. Sed Benivenius *Med. Observ. cap. I.* anno quidem 1496 ab Hispania cœpisse credit, antiquorum tamen Lichen seu Plinii Mentagram hoc malum facit. Ita autem Plinii locus habet: *Hist. N. l. 26. c. 1. Sensit facies hominum novos, omnesque ævo priori incognitos non Italiæ modo, verum etiam universæ prope Europæ, morbos tunc quoque nec tota Italia, nec per Illyricum Galliasque aut Hispanias magno opere vagatos aut alibi quam Romæ circaque, sine dolore ullo aut pernicie vitæ, sed tanta fœditate, ut quæcunque mors præferenda esset.* Nec desunt, (verba sunt Casauboni in Not. ad Sueton.) qui subtiles tumores faciem Cl. Tiberii Cæsaris deturpantes, pustulas venereas fuisse, arbitrantur. Adferri etiam Corn. Celsi *de Medicina lib. 6. caput 3.* solet, ubi de Sycosi loquens, morbo à fici similitudine Græcis sic dicto, frequentem in istis partibus esse dicit, quæ pilis conteguntur. Efficacius hæc ægritudo á Martiali Poëta, mordaci, si quis alius, depingitur, dum Basio cuidam insultans, *lib. 11. Epigr. 99.* sic canit: *Effugere non est, Basse, basiatores; Non ulcus acre, pusulæve lucentes Nec triste mentum, sordidique lichenes, Nec labra pingui delibuta ceroto , Nec congelati gutta proderit nasi.* Idem Cæcilianum ganeonem (infucata forsan aliquando merce ab eo deceptus, si quid tale de viro nobili & literis claro suspicari liceat) sic perstringit: *lib. 7. Ep. 70. Ficosa est uxor, ficosus & ipse maritus, Filia ficosa est, & gener atque socer. Nec dispensator, nec vilicus ulcere turpi, Nec rigidus fossor, sed nec arator eget.* Dodonæus *Annot. in Beniv.* præterea Antiquis hunc morbum notum fuisse sibi persuadet, verum sub nomine pustularum vel ulcerumtunc temporis latentem Conf. etiam Pontanus. *Annot. in eund. Beniven.* Pet Pinctor *Tr: de morb. Gall. Fæd. & occult. c. 1. & 22.* antiquis, nominatim Rasi & Avicennæ, sub tertia quadam variolarum specie descriptum hunc morbum contendit, *Aluhumata* dictum. Saliceti denique, non quidem inter claros Chirurgiæ autores, hic tamen non dissimulandi locus memorabilis est, (Anno enim 1270 scripsit) præcipue ubi Chirurgiæ suæ cap 48. *Pustulas* nominat *albas, & scissuras & corruptiones, quæ sunt in virga & circa præputium propter coitum cum meretrice, & alia de causa.* Item Gordonius, qui in Mompeliensi Schola Medicinam docuit, & A. 1 05. Lilium dictum Artis Medicæ edidit, præcipue cap 5. de passionibus virgæ quædam habet huc spectantia. Qui quidem ambo Scriptores, cum tempora Neapolitani belli præcesserint, satis confirmant, Antiquitati etiam, non plane ignota & inexperta hæcce mala fuisse, nec totam novitatis inventique gloriam nostris temporibus esse adscribendam; licet hæcce à majoribus tradita excoluisse posteros sedulo, concedendum sit.

Ab altera parte pro novitate hujus morbi non minus acriter plurimi pugnant. In eo tamen omnes conveniunt, quod circa tempora obsidionis Neapolitanæ, per Carolum VIII. Galliæ Regem contra Alphonsum Regem Neapolitanum, A. 1493. institutæ, Luis Venereæ exordia quærenda sint; maximam partem rejicientes culpam nominatim in nautas sociosque Columbi, qui in Insulis S. Dominici vel Calecuth Indicis mulieribus mixti, & postea in patriam regressi, hæcce mala e novo orbe secum transtulerint: primum quidem Barcelonam Cataloniæ urbem, ubi adscendisse eos, ut Regi rationem itineris redderent, ipsamque tum urbem hoc inusitato morbo infecisse Rod. Diacius Insulanus, homo Hispanus *De M. Vener. c. 1. cit. Purman. c. 1.* & ipse aperte demonstrat; nonnullis hoc quoque addentibus, attulisse nautas viros aliquot Indos Indasque fæminas, ne omnis sic in Christianos homines culpa redundaret. cumque bellum inter Hispanos & Gallos paulo post exarsisset,teste Fallopio, *d. M. Gall cap. I.* per milites Hispanicos, ex Indiis reversos & stipendia Neapoli merentes, infectæ

mulieres ibidem fuerint, quæ a Præfectis urbis expulsæ obsidentis victricisque exercitus arbitrio sese dederint, nec aliter ac novæ quædam & è cœlo delapsæ Pandoræ receptæ ingenti protinus luctu, sed sera pœnitentia suos amasios mactarint. In Occidentali certe India morbum hunc ita familiarem, ac apud nos morbillos, Monardes *d. Simpl. Med. ex occ. ind. delat. p. 30.* refert & Varandæus; *d. Morb. Hepat. c. 2.* Rondeletius *Tr. d. morb. Italico.* frequentem, Montanus vero, *Cons. 350. & 352. d. morb. Gall.* Palmarius *Tr. d. morb. contag. l. 1. cap. 14.* & Lister *Exercitat. Med. d. lue ♀rea.* ab omni hominum memoria Americanis endemium pronunciant: subintellige calidioribus Americæ provinciis, nam in reliquis allatum aliunde morbum & quidem per servos Mauros Jansonius observavit; & Sydenham *Ep. ad H. Paman. d. L. Ven.* per mancipia ex regione aliqua Mauritarum Guineæ traductum asserit. Quercetanus *Cons. 3. d. lue ♀.* item non promiscue omnes Indias occidentales culpandas monet. Quæ omnia prolixius in sequentibus reperiuntur Autoribus: Massa, *Lib. d. M. Gall. part. 1. c. 1.* Phrisio, *d. Curand. pusc. M. Gall. cap. 1.* Saxonia, *Med. Pr lib. 9. c. 2.* Rudio, *d. Corp. h. vitiis occ. lib. 5. c. 7.* Fracastorio, *d. Morb. contag. lib. 2. cap. 11.* Campegio, *Annot. in Fuchs. d. pudendagr.* Guarguanto, *Cons. ad var. ægrit. Tr. 3. d. lue V. cap. 2.* Gajono, *In Epist. ad Th. Philol.* Guicciardino, *Hist. Italic. lib. 2.* Ettmullero, *Coll. Pr. Sect. 17. c. 3. Art. 5.* Daëlmanno Neu abgefasste Heyl-Kunst auf der Grund *Acidi* und *Alcal. p. 14.* Sylvio *App. ad Pr. Med. Tr. 3. §. 4.* Pechey, *Promt. Pr. Med. c. 33.* Woyte, *Galant.* Artz *cap. 12.* Purmanno, *Salivation:* Cur *cap. 1.* aliisque: quorum longior catalogus si cuipiam tædiosus forsan videbitur, pluribus eundem utilem fore confido.

Paradoxa sunt, quæ Fioravanta *Capricc. Medic. l. 1. c. 27.* refert, nescio quibus autoribus, à me tamen non reticenda hoc loco, ubi, ut occultas hujus venenatæ Luis causas indagem, ad varia flectere animum necesse est. Curatores enim Exercitus Gallici pro carnibus ursinis, *(forsan urorum)* ordinario tunc temporis Gallorum in militia pabulo, carnes sui generis, id est humanorum cadaverum, substituisse, refert. Quod exploraturus idem Fioravanta, porcum carne porcina, canem canina aluit, & utrosque pilorum defluvio & pustulis vexatos, narrat. Nec multo aliter le Grand, *Hist. Nat. part. 8. Art. 10.* initium morbi, qui antea Indis & Canibalis fuerat proprius, in obsidione Neapolis ponens, ex carnibus humanis comestis, quas sale conditas mercatores Mauritani loco thunnorum (piscium genus) in castra obsidentium detulerant. Piso autem *de Medic. Brasil. lib. 2. cap. 19.* diversam à prioribus luis causam profert, alimentum sc. fœtidum & salsum, potumque rancidum & corruptum, quam quidem regioni Brasiliensium endemiam statuit sub nomine Bubas, distinctam tamen vult á morbo gallico, quem illuc aliunde adferri putat, Symtomatis quidem non ita absimilem, cura vero non item. Cui Varandæum hic subjungo, ex aëre indico & alimentis, morbum deducentem: item Thierry de Hery, *La Methode Curatoire de la Maladie Venerienne p. 2 & 12.* qui, puto, ne aberraret, omnes tandem causas commiscuit: nam & ex aëre corrupto, & infectione aquæ & alimentorum, & influentia cœlesti venereum malum derivat. Huc etiam Lister referendus est; quanquam enim dicat ex morsu animalis venenati, non aliter ac Hydrophobiam, pestem hanc contingere potuisse; probabilius tamen putat, illam esui serpentum natales suos debere, quos Americani in deliciis habent: quod probat ex Oviedi observatione; edere sc. illos inter alia serpentem quadrupedem nomine *Iguana,* idque avidissime, cum carnibus cuniculorum sapidiorem pronuncient. De quo & illud refert, esum ejus nulli nocere nisi lue venerea adfecto: morbumenim licet diu sopitum, tamen renovat. Altera ratio probabilitatis Listeri hæc est, quod *cristæ dentatæ* in dorso serpentis Iguanæ comparentes, similitudine referant condylomata illa & mariscas, quas in lue venerea adfectis sæpe conspicimus. Equidem suillæ carnes sapidæ, & si Galeno *l. 3. de Aliment.* credimus, optimo nutrimento præditæ, ubi à vulneratis vel ulcere aliquo adfectis hominibus comeduntur, copiosam & frequentem saniem subministrant; ipsius tamen ulceris causam propterea nemo facile in illas rejecerit. Et illa cristarum similitudo sapit quidem Chymicorum quorundam de rerum signatura doctrinam: quæ tamen non usque adeo adsumta est ab omnibus, ut nulla jam ulteriore egeat probatione. Interim meretur, ut, in quem tanti mali culpa rejicitur, Iguana, Benevolo Lectori hic suam speciem ostendat, extremis saltem descriptam lineis, & ex Margravii *Hist. Quadr. & Serp. lib. 6. c. 11.* desumtam, triplo tamen minorem.

Aliam rursus hujus fermenti morbifici causam Cæsalpinus *Spec. art. med. Hippocrat. l. 4. c. 3.* introducit, ex relatione militis Aretini, (ne quis teste destitutum, rejiceret) qui bello itidem interfuit, vinum nempe græcum leprosorum sanguine (horribile dictu!) in oppido montis Vesuvii Suma adulteratum, & ab Hispanis clam de nocte relictum, Gallicis postea militibus in prædam cessisse,ipsosque infecisse. Idem firmat PlanisCampius. *La Verolle recoynve, combattve & abbatve cap. 3.* Rursus Wierus *Med. Observ. lib. 2. §. 1.* ad leprosum Equitem cum Valentiniana meretricula pretio quinquaginta Coronatorum consuescentem, non ignobilem certe hujus Luis originem refert. Horridiora sunt, quæ Paracelsus *Lib. 2. Chirurg. M. cap. 7. Tr. 1. part. 1.* habet: audiamus tamen Virum inter suos Clar. stilo simplici, ut Helvetium decebat, & sine scrupulosa verborum ambage sese expedientem, dum ex concubitu Galli leprosi cum scorto menstruante & bubonibus circa inguina conspurcato originem morbi derivat. Itidem Sennertus *Op. Med. T. 3. lib. 6. p. 4. cap. 4.* ad menstruantes Indorum mulieres respexit, ab Hispanis compressas. Nec multum diversus ab his Helmontius est, *d. Tr. p. 846.* qui, licet ad obsessam Neapolin morbi ortum faciat, inde tamen deductum vult, quod nequam homo Sodomicum exercuerit cum equo verme laborante.

Mitiores videntur fuisse, qui in vagam hominum libidinem & immundum illud meretricularum genus culpam rejiciunt; quos inter Dolæus, *Med. Theor. Pr. lib. 3. c. 15.* hunc morbum ubivis originem habere posse autumat, si homines cum multis scortis rem habuerint. Qua in re ipsi consentit Maynwaringius: *d. l. cap. 4.* idemque ante ambos hosce scriptores Zacut. Lusitanus. *Lib. 1. Hist. 7. qu. 36.* Et nuper celebris inter Gallos scriptor Gervais Ucay, *Traite de la Maladie Venerienne* cap. 1. cum ita scribit: *On scait que si une fille parfaitement saine & pucelle, si on veut, afin qu'il n'y ait aucun soupçon de mal venerien, se mêloit parmi une demidouzaine de garçons aussi sains qu'elle, & se debauchoit tour à tour avec eux, ou les uns ou les autres auroient bientost la Verole, & tous ensemble la contrateroient enfin par la repetition des actes veneriens.* Et paulo post: *les personnes raisonables ne doutent plus que la verole, ne si produise de cette façon.* Equidem ex illa communicatione & promiscua libidine tradi hodie morbumnec ego negare audeo, sed de origine quæritur venerei fermenti: si corruptinoni enim diversorum in una eademque matrice seminiorum, morbus ortum debeat; non video, quomodo vel olim in Græcia, vel postea Romæ in isto luxu & in tanta nequitia perditorum morum ignorari hæc lues potuerit, vel illis esse magis quam nobis occulta?

Sed ne Lectori prolixitate displiceam, reliquos breviter persequar. Leonicenum ex inundatione Tiberis tempore Pontificis Alexandri VI. causam ortus contigisse, cum anno sequenti fuerit lues secuta, deprehendo, licet antiquis hunc morbum cognitum fuisse, credat. Philologus hunc in modum explicat: fuisse nempe in Gallorum exercitu, positis ad Rapalum Januensium locum castris, militem, qui, postquam divi Lazari Xenodochium, interfectis infirmis abreptisque & unico solum denario aureo divenditis lectis & culcitris, diripuisset, ulcus in palmæ manus medio de repente divino miraculo exortum sensisse, totum corpus deinde pustulis cooperientibus. Campegius etiam, ex ira Divina Europæis hunc morbum esse immissum statuit, non aliter ac olim Israëlitis libidine peccantibus varia mala accidisse, ex Sacris colligitur. De hisce causis Fernelius, *Lib. d. Lue Vener. cap. 2.* clarus Medicus, sed libere nimis, ut inter Pontificios degens, sequentem in modum: *Mira statim tam horrendum affectum superstitio excepit, indoctis quibusque hominibus & mulierculis ad Divos, nescio quos, vota sua referentibus, opemque ab iis poscentibus.*

Proxime hos excipiant, qui ad Planetarum influxum sese converterunt, nec aliter, ac Romani olim Deam Februam cœlo oriundam, sic & hi luem Veneream è stellis quasi delapsam susceperunt: communi mortalium vitio, quo lubenter culpam urgentium malorum removere à nobis, rejicere in alios solemus. Primus autem hic nominandus est Pinctor: *d. Tr. cap. 2. & 4.* hic enim, quemadmodum Luem Variolarum quandam esse speciem, credidit, illas vero in alimento, uti appellat, menstruali residuo fundari, ita morbi Gallici mineram inejusmodi menstruo humore collocat, quem tamen non moveri voluit, nisi ab influentia cœlesti & conjunctionibus Planetarum. Quam conjunctionem factam narrat A. 1483. in domo ægritudinis seu Libra. In genitalibus vero maxime conspectum fuisse, putat, morbum, quod Ecclipsis Lunaris eo ipso anno facta sit, sole in signo Scorpionis, hisce partibus

præsidentis, existente. Paulo vero aliter hoc ex mente Astrologorum Guarguantus refert; *cap. 3.* sed locum citasse sufficiet. Et præterea Zacutus, *de Med. Princ. hist. 73. l. 1.* Phrisius, *cap. 3.* & Almenar *de M. Gall. cap. 1.* videri possunt. Hinc autem, credo, Fracastorium, Poëtam simul & Medicum nobilem, occasionem cepisse in Siphylide suo ad Bembum Cardinalem conscripto, fabulandi, Siphylum Alcithoi Regis pastorem, cum oves suas sub ipso æstivo solstitio pasceret, nec ullibi levamen ardoris percipere posset, gregis sui misertum, indigna quædam contra solem evomuisse verba, & victimas Alcithoo fecisse tanquam Deo. Quod Sol conspiciens, radios suos contra mortales contorserit, & morbum Gallicum in terras miserit, qui primo ipsum Siphylum corripuisset. Unde sic canit: *lib. 3. Siphylid. Protinus illuvies terris ignota profanis Exoritur, primus Regi, qui sanguine fuso Instituit divina, sacrasque in montibus aras Siphylus ostendit turpes per corpus achores, Insomnes primus noctes, convulsaque membra Sensit.* & quæ plura ingeniose simul & eleganter descripta sequuntur. Hanc interim opinionem severe Salmasius *d. l. p. 736.* rejicit: *antequam morbus Gallicus in Europa notus esset, nemo Mathematicus poterat dicere, hunc vel illum eo morbo moriturum vel ægrotaturum, postquam cœpit esse, etiam ad stellas vis ejus efficiendi translata est, cum antea eam non haberent. E Sole itaque ad cœlum transiit ἀποτελεσματικὴ potestas luis venereæ, quam per tot secula à mundi usque primordiis & à conditu suo stellæ ignorarunt.*Nec deflectit ab hoc Censore Helmontius: *d. Tr. p 844. dilucide intelligo ac optice cerno, reliquias esse paganismi, quicunque ausus est stellarum officia & destinationes extendere supra textum sacrorum, qui dicit, quod astra sint nobis in signa duntaxat, tempora, dies & annos. Astrologis tamen facile adsentirer, si nata semel febris obortaque apoplexia cessassent, cessante illa constellatione. Demonstrare quoque si possent, quonam interim hospitio febris habitaret, distracta semel stellarum febrilium locatione.*

Nonmirum itaque in tot opinionum discriminibus diversas etiam adpellationes pestem hanc induisse: nam aliis Parthenopeus morbus, aliis Pudendagra dicitur, aliis Lichen, & Milium, & Mentagra. Januenses olim, teste Guarguanto, *d. l. cap. 2.* Tabellarum morbum, Hetrusci Bullarum; Alii Patursam seu Variolas, la grosse Verole; Indi, teste Sydenhammo, The Yays vocitarunt. Nonnullis Saturninus, aliis S. Mævi morbus dictus; denique non aliter, ac de Homeri olim patria disceptantibus inter se gentibus, & Indica Serpigo, & Scabies Hispanica, & Gallica Lues, & Neapolitanus morbus adpellatus fuit. Quanquam, si in re tristi joco aliquis locus sit, cum jam effluxerint ducenti amplius anni, ex quo sævire hæc lues in Europæ viscera, & manifeste grassari cœpit, non video, quin tanti temporis præscriptio tandem cuique genti, etiam nostræ, possessionem hujus rei legitimam adferere potuerit: non obstante illa Nautarum omnia lustrantium, acquisitionis primæ qualicunque gloria; id certe observatum â circumspectioribus est, celebratam illam olim Christiani orbis fœcunditatem exaruisse non parum, ex quo suas in eo radices agere cœpit, vere hoc nomine, non autem in opprobrium florentissimæ Gentis, Gallicus dicendus morbus, som gällar alla them han öfwerkommer. Confer. Verel. Lex. Scand. in voce Gälla & Clariss. Atl. Autor T. 1. Atlant. cap. 27. §. 4.

Cum autem in tanta causarum incertitudine statuendum mihi aliquid sit, saltem in Dn. Opponentium gratiam, qui harum thesium examen suscipere non gravabuntur, in istapræterea opinionum discrepantia etiam liceat, breviter dicam, me accedere suspicionibus *CLARISSIMI PRÆSIDIS*, mihi, cum super hoc argumento conferrem, communicatis. Nimirum, cum constet, Barbaras illas fere omnes Americæ gentes non solum, sed & Afriæ, quæ ardentiore sole exuruntur, libidinis quodam œstro singulari præ reliquis orbis gentibus agitari, vexarique, nec puros esse innocuosque ab illo, quo accusari nefando scelere solent, & illa consuetudine inhumana, utpote promiscue inter se sordesque, Simiis, Pithecisque mixti, degentes: utique probabiliter adseri potest, in istis præcipue terris & confusione horrenda primum existere Venereum hoc virus, nostro tandem orbi notissimum, postquam per deductas colonias plurimas & redeuntes quotannis integras classes, in unam quasi gentem cum Barbaris hisce incœpimus coalescere. Simiis Pithecisque omnibus mira certe salacitas, & fœda feraque libido est; unde & propius adstantibus acrem quendam & olidum fœtorem, Zibethi fere vel Moschi æmulum, spargunt, neque exilia semper turpia hæcce animalia esse putandum est, sed quoddam ex iis genus ad æqualem fere homini altitudinem adscendere solet, ut credibile sit, non aliunde, quam ex harum bestiarum peregrinantibus olim alicubi visarum fama, ortam fuisse Veteris Paganismi illam de Satyris traditionem. conf. Plinius. *Hist. Nat. l. 5. cap. 1.*

& l. 7. cap. 2. Hodie certe, lustrato jam toties orbe, aliud Satyrorum genus non detectum est; quod pluribus describitur â Margravio, *d. l. cap. 5. l. 6.* Bontio, *Hist. N. & Med. l. 5. cit. Blas. in app. ad Licet. de monstr.* Mich. Hemmersam, West-Indiske Resebeskr. *p. m. 77.* & Nic. Köping nostrate, Resebeskr. *cap. 66.* qui fæminam ab ejusmodi Satyro seu Babiano per vim stupratam gravidamque in urbe Pelicatta vidit. Tulpius *Obs. med. l. 3. cap. 56.* præterea Satyræ fæminæ imaginem dedit, Indis *Ourang-Outang* dictæ, quod hominem silvestrem denotat, ex Angola Americæ regione sua ætate in Hollandiamdelatæ, & Fredr. Henrico Arausionensium Principi dono datæ, cujus hic extrema lineamenta utcunque descripta B. L. sistimus.

Caput Secundum

In quanam re præcise morbi natura consistat, tum & quibus tradatur & communicetur modis, docebit.

Non mirum & hoc in puncto discrepare inter se Medicos, qui in adsignanda morbi origine tam longe ab invicem recedunt. Hoc certe contrariantium sententiarum pelagus nemo facile sine naufragii periculo transibit, nisi ad rem potius quam verba scriptorum loquendique formulas attendens, vocibus quidem discrepare eos, rem tamen eandem ante mentis oculos habuisse, sibi persuaserit. Pauca tum ex Veteri tum Recentiorum schola delibabo. Veteres fere omnes, saltem qui Galenum sequuntur, Quaternionem in corpore humorum supponentes, Melancholiam, Pituitam, Bilem, Sanguinemque illis proprie sic dictum, accusabant. Capivaccius *Tr. de Lue Ven.* definit: *Excretum toto genere præter naturam, genitum ex humana substantia a simili; esse tamen summæ activitatis, & agere calefaciendo & putrefaciendo.* Massa *Part. 1. c. 4.* vero huic in speciem contrarius, humorem phlegmaticum non naturalem: Auger. a. Ferrerius *Tr. de Pudendagr. l. 1* putredinem humorum; Garcias vero Lopius, *Comment de var. R. Med. lection. c. 19.* quasi sibi ipsi non constans, contraria inter se proponit, interdum atram bilem, interdum pituitam in hoc negotio culpandam, censens. Benivenius *d. l.* acutam humiditatem sanguinis & atram bilem accusat. Fernelius *cap. 4.* causam Venereæ Luis qualitatem facit venenatam in humore hospitantem; Saxonia *d. s. l.* maleficam, calidam & occultam causam introducit: cui Palmarius *lib. 1. c. 1.* adstipulatur. Luc. Ghinus *Tr. de M. Neap.* contra intemperiem frigidam & siccam, Montanus *d. l.*rursus & Fracancianus *de M. Gall. cap. 2.* calidam & siccam intemperiem reprehendunt. Fracastorii *cap. 12.* autem memorabilia verba sunt, ex phlegmate crasso, sordido & acri in lentore multo obsepto sepultoque luem hanc deducentis. Fallopius *cap. 20.* totius substantiæ morbum, ut & Rudius, *lib. 5. c. 7.* Fernelius *ibid.* & Horstius *Cent. Probl. decad. 10. qu. 3.* appellarunt. Et prout Hepati sanguificationis munus adscribebant, ita quoque Luis Venereæ ἴδιον δεκτικὸν hepar esse Massa, *cap. 3.* Quercetanus, Fallopius, *cap. 13.* Rudius, Varandæus, & Horstius *d. l. & Op. Med. Tr. 2 lib. 7. obs. 1.* strenue contendunt.

Inter Recentiores Scriptores Morthon, *Pyretolog. p. 27.* sicut alios omnes, ita morbum Gallicum à Spirituum depravatione deducit. Cui Wirdig *Proœm. in Med. Spir. n. 7. & lib. 1. c. 28. §. 25.* aperte consentit, ex spirituoso & igneo sale (ita enim loquitur) derivandum, ratus. A quibus non admodum abhorret Abelius, Leib *Med.* der *Stud. lib. 2. p. 1. c. 4.* quando luem describit per insignem succi nervei & lymphatici corruptelam quoad crasin & motum. Paracelsus *d. generat. M. Gall. lib. 2. paramyr. c. 4.* autem, quem prius nominare debuissem, Luis Venereæ mercuriale statuit principium, non excluso tamen salino. At Sydenham, humorem inflammationis participem esse, dicit. Hoffmannus autem *Fund. Med. l. 2. c. 4. §. 29.* graphice causam in miasmate impuro ponit, subtili & caustico, quod partim causticitate partim putredinoso motu partes spirituosas fluidas & solidas, tarde tamen & successive inficiat & corrumpat. Huc itaque & Veteres respexisse, & convenire in eo Recentiores video, quos & propterea sequor, Borrichium *d. us. Pl. Indig. p. 68.* puta, de le Boë Sylvium, *d. l. §. 33.* Dolæum & Ettmüllerum, quod vera Luis Veneræ natura in acido præternaturali, sui quidem generis, vergente tamen ad

corrosivum, versetur, instar fermenti lente sese multiplicante, sensimque & functiones corporis & tandem *corpus ipsum destruente.* Et quantum adtinet ad venena, Galeno *d. simpl. Med. Facult. lib. 3. c. 17. & 21.* & Antiquis triplicis erant generis: Erodentia, frigida & putrefacientia, quæ sic Recentiores interpretantur: ut, vel ipsas partes solidas pungendo scindendoque corrodant; vel peregrino, quem vehunt, & insolito sanguini æthere, ipsum hunc vitalem liquorem aggrediantur, disjectaque ejus particularum mixtura, secedere illas ipsas ab invicem faciant, adeoque lethalem coagulationem introducant, vel etiam ita resolvant consuetum illum necessariumque sanguinis lentorem, cujus ope amice cohærent reliqua omnia, ut vini rubelli vel carnium loturæ instar etiam in defuncto jam cadavere in venis reperiantur. Nam quæ cretacea sua vel calciformi crassitie ipsos meatus obstruunt & ductus obturant, manifestius agunt, quam ut iis explicandis inhærere necessum sit. Fermenti quidem natura, si altius res repetenda esset, perquam difficilis est; sed in Praxi Medica sufficit eundem, quem vulgo habemus, hic conceptum formare: scilicet cum non omnia fermentari ab omnibus animadvertamus, sed cuique mixto speciale convenire fermentum, e. g. acetum vini vino fermentum esse, quod vino affusum & multiplicare se ipsum & totum tandem in sui naturam convertere; & farinaceæ massæ id, quod in pistoriis officinis illi addi solet, fermentum esse: nam in pauca licet quantitate additum, tamen non superari videamus: quod hactenus, ut cognoscant, pistorum interest, altiores ejus primasque causas speculantibus relinquentium; eodem etiam modo Venereum hoc virus, fermenti instar humanam genituram & similimos illi humores afficere observamus, in cujus vel eludendo contagio vel frangendo, vel exterminando omne Medici officium versatur. Quidquid interim sit de ipsis hujus fermenti particularum figuris, & ramis, & poris, in qua re si vel posita quædam esset á Theoreticis Hypothesis, certum tamen est, antequam omnibus, quæ circa eandem moveri recte possent, dubiis seseexsolverint, singulos in universo hac afflictos lue misere & omni destitutos auxilio perituros.

De contagii autem variis modis ut adcuratissime solliciti simus, monet prudentia. Per varios enim & multiplices circuitus humano generi venereum hoc virus insidiatur; hinc Bebelius: *cit. Phris. d. l. Nulla ætas tuta est, sive innuptæque puellæ, Si vir, aut juvenis fuerit, aut pigra senectus, Nec infans paruulus, nec præbens ubera mater.* Cujus rei plurima simul & tristissima exempla adferre possem; sed sufficiet, quod Forestus *Lib. 32. Obs. 2.* referat Luem Veneream, qua maritus uxorem, hæc infantem in utero, hic nutricem, hæc tres liberos proprios adfecit. Simile quid apud Amat. Lusitanum *Cent. 4. Cur. 9.* videre licet, item Schenckium *in Observat.* Nec facile credendum est Saxoniæ, *d. l. c. 3.* probato licet Medico, adserenti, luem tophis jam nunc sese prodentem, non esse contagiosam. Sunt autem tophi isti tuberositates & concretiones quædam durae, secundum ossis situm communiter formatæ, non tam in ipsis articulis, quam mediis artubus sese manifestantes, indolentes raro, sed nocturno inprimis tempore insigniter dolentes: deducta voce à calciformi illa & gypsea subsidentia, quæ in æneis vasis thermarum, ubi aqua decoquitur, accrescere solet; quales calculosæ item materiæ in thermis naturalibus Carolinis Bohemiæ, Aponitanis Italiæ, & alibi passim producuntur. Sed ut redeam ad adsertum Saxoniæ, nonne conspectum frequenter Medicis est, scorbutum etiam, lentum alias morbum, per mutua oscula, & præcipue per offas a nutricibus præmansas tradi pusionibus & propagari? Tamen nec usque adeo terrendi homines sunt, ut cum Zacuto, *Pr. Med. adm. l. 2. Obs. 125. & H. Pr. Med. 1. 1. h. 73. q. 35. & 43.* morbum hunc etiam ad distans contagiosum esse, persuadere illis conemur: quod de Peste quidem verum est; quæ Arsenicalibus corrosivis particulis aëre

imprægnato, ut invasit sæpius, ita mox exstincta est. Certe per inspirationem aëris inquinati solam ista serpit: congressu tantum abest ut inficiat, ordinario saltem, ut etiam de la Font *Diss. Med. d. Ven. Pest. 1. c. 21.* proferat exemplum puellæ Batavæ, quam peste correptam, ubi extra urbem in hortos deportata, solaque relicta fuisset, amator juvenis sæpius & sine noxa invisit: quod exemplum nominasse licebit mihi, cum hanc mulierculæ pestem venere curatam Vincent. Fabricius eleganti prorsus & longo insuper carmine complexus sit. *Vid. Misc. Curios. Medico-Phys. Acad. Nat. Curios. An. 1. Obs. 188.* Potius itaque, cum hanc contagionis actionem ad distans causentur ægroti, suspicandum est, nolle eos peccata sua fateri, ne forsan existimationis suæ jacturam faciant, si veras causas propalarent. Wisemanno *d. L. Ven. c. 1.* certe observatum est, quosdam præ concepto timore qualescunque etiam dolores & symtomata leviora a venerea statim lue, qua tamen immunes erant, prognata, sibi

persuasisse, usque eo, ut, cum eorum querelas periti Medici rejecissent, ægre id tulerint, & conversi ad impostores, sanitatem tandem periculosa illa inunctionis mercurialis cura una cum nummis perdiderint.

Sed nec in omnes licet uno eodemque haurientes impuro fonte æque facile transit morbus, sicut de recutitis, & mulieribus suæ purificationis tempore, deniqe & de aliis passerum instar vel Canis e Nilo, cito sese expedientibus observatum id Fallopio *c. 22.* & Saxoniæ *c. 4.* est. Etiam receptum virus, in quibusdam naturæ bonitate & robore sopitum hæsit per plures annos, testibus Capivaccio, Massa, *part. 2 c. 5. & p. 6. c. 6.* Palmario *l. 1. c. 6.* & Brigtho; *Therap. p. 2. p. m. 107.* nec nisi casu tandem excitatum fuit, ut in illis apud Amatum, *Cent. 1. Cur. 47. & 50.* qui sanati a lue, XVo demum anno ductis uxoribus sanis, liberos hac labe infectos susceperunt. Horstius *Op. M. T. 2. l. 7. Obs. 9.* etiam, luem diu occultam, post balnei tandem frequentiorem usum manifestatam esse, notavit. Alios rursus videmus ægros, Lue,exhalationis instar venenatæ, ad interna subito penetrante viscera, intra paucos etiam menses totos fere in putrilaginem resolui. Quanquam autem mitius interdum cum suis agat hæcce lues, non tamen desinit propterea esse contagiosa: nam inter hæreditarios morbos, si quis ullus, merito numerari debet, severa Nemesi in tertia, & quarta etiam generatione crudeliter puniente parentum & avorum stultitiam; sive quod dicamus, veneream hanc virulentiam subjugari â parentum sanguine, viscerumque eorum firmitudine eludi, in molli autem infantili corpore & illa ductilitate fibrarum grassari facilius: sive quod imaginemur nobis, fermenti hujus exilem licet particulam, adspersam illi futuri fœtus rudimento incredibiliter exili & latenti in ovo fæmineo, impingatur tandem exilibus visceribus, sufficiatque sanguineæ massæ inficiendæ. Certe Riverius, *Obs. â Form. comm. 26.* puellum nuper in lucem editum lue contaminatum refert: & Horstio *d. l. obs. 11.* pusio sex mensium pustulosus, qui parentibus morbum debebat, conspectus est: præterea D. JOH. van HOORN, S. Jordg. *l. 5. c. 5. p. 287.* Cl. Holmiensium Practicus, infantes recens natos, pustulis & oris aphtis vexatos, observavit, latente vel dissimulato sub communi illo nec insolito nostris infantili morbo Torsken dicto, venereo veneno. Sicuti & in aliis ægris non raro hic morbus sub larva vel pertinacioris scorbuti, vel arthritidis, vel etiam aliquando Spinæ Ventosæ, vel febris lentæ, vel scabiei occultatus incedere solet. Gaudeant itaque bene nati: nam fortes creantur fortibus & bonis; & *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu.* quod fæmineum præcipue sexum spectat: matris enim indolem præsertim in sobolem transmitti, certissimum est.

In omni autem, quo contrahitur Venerea Lues, modo id observatum, ut illa pars, quam miasma venereum immediate tangit, præcipue etiam adficiatur. e. g. ubi nutrix, alioquin sana, ex impuri infantis lactatione morbum colligit,tunc circa papillas & mammas pustulæ, excoriationes, inflammationes, ulcera depascentia & callosa sese produnt. Si ex vestimentis & concubatione, in cute pustulæ atque efflorescentiæ varii generis excitantur. Gonorrhæa & bubones, quidquid sese excuset Reus, contractum in prostibulis malum testantur. Ad quod, non frequentem modo, sed & unicum sæpe & leviorem actum suffecisse animadversum Practicis est. Præter autem congressum, modi, quibus se contagium venereum propagat, varii sunt; omnes tamen, rarius contingentes: cognoscendi interim sunt, ne cuidam forsan innocenti aliquid hic per oscitantiam mali affricetur. Notatum itaque fuit, morbum hunc transfundi per linteamina ab ægrotantis sudore sordida sæpius palpata, item per vestimenta & caligas, per pocula communia & cibos ab ægroto contrectatos, item usum communem aliorum utensilium, cultrorum, cochlearium, & pectinis: culpatum quoque reperio usum ejusdem latrinæ; præterquam quod propagata hæc lues legatur per impositionem cucurbitularum insectarum sine dubio, tum per scarificationem in publico balneo iisdem instrumentis Chirurgicis, nec rite abstersis factam, ut nihil dicam de sordidis ejusmodi balneis, qualia Cl. Medicus Italus Baccius *Tr. d. Thermis lib. 1.* exagitat. Unde & olim mos fuit Romanis adferre secum ad balnea publica, magnifica licet, & spongias proprias & strigiles, observantibus hoc ipsum etiamnum Turcis. *vid. Busbequ. Epist.* Refert Ettmüllerus exemplum ancillæ pudicæ, cuidam venereo ad sopiendos artuum dolores balneo formicarum subinde utenti, inservientis, & hinc sudores abstergentis, quæ horum contactu & halituum inspiratione infecta fuit. Prostant hæc omnia prolixius apud præfatos Autores, & præterea Fernelius, *d. Morb. univ. & part. l. 6. c. 20. & d. Abd. rer. caus. l. 2. c. 14.* Hildanus, *Obs. Chir. C. 1. obs. 100. & C. 5. obs. 100.* Botallus, *Tr. d. L. ♀rea. c. 2. §. 2. & c. 4. §. 3.* aliique in hoc negotio consuli possunt. Si quid autem aliud, id certe non raro contingit,

infantulos infici per suctionem lactis nutriculæ sæpius, ut nostris mos est, undecunque conductæ, & morbo hoc contaminatæ, ita ut Luem, Helmontio *Tr. d. Inf. Nutrit. ad vit. long. p. 623.* judice, â nutricibus sugi non solum, sed & inuri puerulo â cunis hoc modo certum sit. Sed transeo ad alia.

Caput Tertium.

In Symtomatis describendis occupabitur.

Operæ pretium est, ut brevem Symtomatum hujus morbi proferam historiam, eo potissimum ordine, quo venenum & agere primo incipit, & tandem luctuosam scenam absolvit. Supponamus itaque virulentum hominem, & recenter etiam, si placet, ex fortunatis illis Insulis ad nostras oras delatum, mulieri hactenus sanæ misceri. Facile tunc quidem intellectu est, quomodo adhærens tunicæ interiori venereum fermentum, ab exilibus hujus loci glandulis statim recipiatur: quod dum hæsitando & hærendo redditur acrius, penetrat intimius; cumque ad acorem quendam vergat, ut supra diximus, figit coagulatque liquores lente in istis partibus fluentes; unde animadvertitur mulieri omnium primo exilis quidam tumor, sed dolorificus, qui, aucta calore corporis acredine, agitatâque, lente corroditur, & exiguum ulcus formatur, cujus tamen margines duriores manent, sensimque auctum manifeste abit in cancrosum ulcus: estque primus, ut ita dicam, hujus fabulæ actus, malo scilicet intra primas contagionis vias adhuc consistente. Neglectum autem, multiplicari quotidie hoc fermentum debet, & ulterius serpere, tum vicinas ulceri partes corrumpendo, tum miscendo sese liquoribus per angustos ibi tubulos circulantibus: adeoque communicari illud sanguini versus cor refluo, necessum est, & sic tandem totam massam infici. Prout autem casu tum dominatur in corpore diversa intemperies, varias etiamformas venenum induet. Si enim tenuis & fluidus valde sanguis est, statim ad partes corporis omnes acre fermentum deducetur, quod in solidis hinc inde hæsitans, vagos dolores efficit. Si vero continget fermentum ipsum esse minus volatile & spirituosum, vel sanguinis intemperiem acidam, sequetur ulterior hinc humorum coagulatio, qui lente fluentes & spontaneas lassitudines, sed insignes & ulcerosas, ut appellat Ettmüllerus, cum torpore gravi, quasi membra fustibus contusa essent, & fastidia, & spirituum defectus, & consuetarum sanguinis fluxuum suppressiones inducet. Si viscosus sanguis fuerit, ab hoc acore ulterius lentescens pituita, corporis habitum pallidum reddit & subtumidum, hæsitante in arctis tubulis seroso sanguine, fracto insuper ejus impetu in ultimis hisce vasorum ramis, contactuque aëris frigidi externi ulterius impediente reditum versus interiora. Si vero hoc muliebre corpus sanguinem esse supponamus, propter inæquales in vasis ebullitiones boni cruoris cum peregrino veneno, sentiet & inquietudines, & vigilias , & phlogoses per intervalla. Estque hic secundus actus fabulæ; fermenti scilicet ipsam sanguineam massam inficientis ad Universalem Luem transitus.

Non autem fieri potest, quin infectus sanguis deponat linquatque in ipsis, quas alluit & transit omni momento, visceribus partem hujus veneni; in diversis tamen diverso modo, prout vel præponderat virus, vel robur viscerum peregrinum hunc hospitem excludit eluditque. Utplurimum vero contingit, veneno existente licet debili, ut in inguinalibus glandulis sese manifestet malum, non quod pondere suo descendat versus inferiora, ut quibusdam Medicis visum est, vel quod ignobiliores hæ partes recipere debeant, quæ provida scilicet expultrix facultas removet â nobilioribus; sed quod lente hic circulans lympha, longoque & anfractuoso vase adscendens ex inferioribus, uti me docuerunt Cl. Prosectoris Nuckli *Tabulæ Vasor. Lymphaticorum,* in densis hisce glandulis, facile deponat heterogenea, unde Bubones,Gallicis Scriptoribus *Poullains* dicti, duri, dolentesque præsertim noctu, in inguinibus quidem communiter, sed & interdum sub axillis sese ostentant, etiam in colli glandulis, imo interdum in miliaribus illis per omnem corporis superficiem disseminatis, observata tubercula fuere. Aucta postea fermenti copia, ejiciuntur quasi extra sanguinis sphæram, & per quandam, ut ita dicam, ebullitionem per totam cutis substantiam maculæ variæ & plurimæ, *qui ne sont, que des fumees Veroliques,* ut Ucay *d. tr.* loquitur; nonnunquam satis late, Ettmüllero teste, præsertim in pectore ac dorso, item in abdomine rubescentes, flavescentes, livescentes: quas pressas albicans vestigium, mox ad pristinum colorem rediens, exhibere Platerus

Prax. T. 3. p. 384. testatur & Sylvius. *l. 4. Pr. tr. 3. §. 18.* Fit & cutis fœda pustulis circa pubem & coxas, loca item muliebria, frontem & faciem, variis scabrisque, squamosis interdum aridisque, facile abeuntibus in cancrosa ulcera, h. e. cava, labiis perduris tumentibus universis instar cooperculi glandis quernæ, *(vid. Fracast. & Ghin.)* Etmüllero alba dicta, quæ successive fiunt callosa, latius serpentia, & vicinam substantiam exedentia atque absumentia; interdum & verrucæ tam depressæ quam elatæ, sub linguæ radice enascentes, in cole vero sæpius: item ficus & condylomata, & cristæ in partibus muliebribus vel vicinis locis sexus utriusque, tum in manuum volis & plantis pedum rhagades seu fissuræ visuntur. Si quandam serositatem acrem continget in spatiis musculorum intermediis exsudari, pungendo membranas, dolores Rheumatismum referentes excitabit. Si vero eædem acredines juxta nervorum longitudinem vel periostii fluent, concitabunt dolores illos fixos atrocesque, ægros misere torquentes. Circa vesperam hora nona vel decima aut etiam citius exacerbari incipiunt, & inter tertiam & quartam matutinam solent discedere; de die aut nulli, aut tolerabiles: sive id integumentis stragulisque adscribere velimus, fundentibus illam, qua involvebantur salium spicula, pituitam; sive absentiæsolis, qui diurno tempore, quo minus hæsitarent acredines in partibus solidis, impediebat. Si ad capillorum criniumque radices stagnabunt acredines hæ serosæ, Alopeciam casumque pilorum causabunt: contrario autem modo elongatis interdum carneis cutis fibris, plicatisque capillis, Plicam dictam Polonicam (Marlackar nostris) ex hac lue ortam, autor est Dolæus. *Encyclop. Ch. l. 1. c. 1.* Adeoque hic tertium fabulæ Actum, luis scilicet jam ipsas carnes membranasque occupantis, habemus.

Tandem continget incrassari hasce serositates & secundum longitudinem ossium indurari in tophos, nodos, gummata in cranio, tibiis & alibi, tum & ipsam penetrare ossium substantiam & ad interiorem etiam medullam virus hoc pertingere, conquerente de profundis doloribus ægra: Dentium casus fient, imo & unguium interdum; denique ob stagnationem humore valde acri reddito, erodi & putrescere non cartilagines solum, sed & ipsa tandem ossa, necesse est. Vox fit rauca, erosis demum palatinis ossibus, quæ non aliter ac in templis laquearia, ut parvis componere magna liceat, ad sonos formandos contribuunt. Exesa vero narium cartilagine, destituta suo fulcro decora hæc humanæ faciei pars misere concidit, ossa redduntur mollia , observante id in Claviculis præter alios Dexterr. Dannwicensis Nosocomii Chirurgo *J. DAHMIO:* Benen woro så möra / at the kunde brytas sönder / som en färsk kringla; sicuti & idem in tophis, licet non exulceratis ossa tamen in defunctis frangibilia reperit. Ad summum itaque ultimumque jam deducto malo, pereuntibus sic per vices membris, lacerum cadaver & jam superis grave ardenter desiderare humum non mirum est, donec etiam vel lenta tabes interno, & notabili innixa ulceri depascat infelices reliquias, vel erosis tandem apertisque pulmonum vasis suffocans sanguinis effusio tristem animam elidat. Quæ omnia prolixius, passim licet, habentur apud autores supra allegatos. Quamquam nec semper longo hocce circuitu Lues utatur, sed non raro per compendia quasi a prima infectione &leviore neglectoque inguinali morbo, ad ipsam ossium transeat cariem, occultatis illis, quæ percurrere alias diximus, & quasi præludere venturo malo, indiciis. Hodie tamen mitiorem esse Veneream Luem testatur Palmarius, *l. 1. c. 5.* Ghinus, Phrisius & Sydenham, aliique longo ordine. Tam horrendus enim hic primo invasit morbus, ut leprosi plurimi habitare cum lue amatoria infectis nollent, & non pauci hac contagiosa cachexia prehensi, præ cruciatibus manus sibi violentas inferrent. Sed postea deferbuit paulatim Venerea hæc Lues: sive quod plantarum instar translatarum in aliud solum, de antiquo genio plurima perdiderit, mitiore nostro & blandiore vel cœlo vel cibo; vel quod Medicorum opera tandem inventum sit morbo remedium, atque adeo si non plane domita vis mali, sævitia tamen humoris plurimum mitigata sit.

Jam autem imaginari nobis liceat, id quod sæpe etiam accidere necessum est, ut, quando cum tali muliere congreditur sanitatis etiam integerrimæ vir, certe vel exterius saltem adhærens putrilago facile quoddam tuberculum ad minimum excitet, quod translucidum interdum *Crystallinæ* nomen meruit, & serpente veneno, cito transiet in cancrosum ulcusculum. Neque enim omnibus ille nitor solitus est, qui Vati Pelignio *lib. 3. Am. El. 6* describitur, cum, nescio de qua refert, Corinna frustatos amplexus *Sumta dissimularit aqua.* Quam tamen hic adhibendam sollertiam homines licet scelestos & alia longe promeritos, monent scriptis suis Medici: indicasse curioso Lectori Palmarii, *lib. 1. c. 8.* nec non Ghini & Massæ, *p. 6. c. 6.* ut & Guarguanti, *c. 9.* Rudii, *l. 5. c. 13.*

præterea Fallopii, *c. 89.* Saxoniæ, *c. 16.* Varandæi, Almenari *c. 5.* & Botalli *c. 6.* locum sufficiet. Si vero contingeret fermentum hoc esse magis volatile, tunc virus receptum in poris turgentis libidine masculi agitatumque penetrabit usque ad illam exilem carunculamurinarii meatus, quæ obicem ponit involuntariæ effluxioni geniture *(vid. fig. de Graëf. d. Org. Vir. c. 2. & Bidloi Tab. 25.)* indeque ulterius ad prostatas & parastatas glandes sic dictas delatum, inflammationem partibus, acrimoniam adservato hisce in locis semini imprimat, unde brevi etiam intervallo ulcusculum unum vel alterum & ibi emergat, suisque irritationibus continuis primum efficiat Luis Venereæ gradum, quem urinæ ardorem Medici, Galli vulgato jam nostrisque etiam civitate donato vocabulo *Chaudepisse* dixerunt. Bonettus *Anat. Pr l. 3. Sect. 31. obs. 5.* certe & Spigelius, *d. Corp. H. fabr. l. 8. c. 17.* & Bartholinus, *Hist. anat. 36. l. 2.* in gonorrhæa demortuis glandulosas prostatas exulceratas & excoriatas repererunt. Subsequitur itaque paulo post fluxus ille dolorificus & acerbus, quam voce græca *Gonorrhæam,* sed ut ab innocenti illa & simplici dicta, quæ probis interdum & non raro recenter conjugatis accidere solet, distinguerent, *Virulentam* hanc dixere. Hic lues subsistere per aliquot septimanas etiam menses solet: (nam qui à depluente sanie comitari interdum suevit flatulentus præputii tumor & glandis, & arrectiones illæ dolorosæ, nequidquam juvantes jam: tædiosissima licet, tamen festinanti mihi veluti accidentia quædam leviora præterire hoc loco liceat) ulteriorem veneni progressum certe impedit & tardat ille ipse effluxus, qui, ut corpori languorem, lassitudinem, & emaciationem, cum visus debilitate & gravedine capitis, adfert, tamen cum eluit ulcusculum continuo suo transitu, partem etiam veneni expurgat, unde & id quod effluit, diversum est: primo aquosus liquor ex prostatis nempe, qui hinc successive flavescit, tum citrinescit & magis acrescit, demum viridescit aut cœrulescit, imo subinde purulentia permiscetur, & non raro graviter fœtet. Sed attenuato tandem per calorem corporis solitum veneno, circulanti sanguini afflatur, misceturque, ubi ulterius sese solito fermentis more multiplicans, intra breve tempus sternit universali & descriptæ jam superius sufficienter Luifundamentum. Paucis verbis Ucay *p. 38: Le ferment Verolique agit peu à peu, commençant par l'endroit ou il s'attache, se repandant insensiblement dans les parties voisines qu'il corrompt, & celle-le en corrompent d'autres, jusques à ce que tout le corps s'en trouve gasté, & ce corps en peut gaster une infinitè d'autres, parce que les fermens n'ont pas de limites.* Sed ista hactenus. An autem de præveniendo tanto malo dicenda quædam hoc loco sunt? certe turpius ejicitur, quam non admittitur hospes: & prævenire mala, ubi jam imminent, meticulosis saltem licebit. Faciam tamen id paucissimis, ne quis ex eo, quod aliis præcepta dem, delectari & in sinu gaudere me putet. Quæ spectant ad morbi historiam paulo hic verbosius recensui, ut prodessem Benevolo Lectori, si forsan ex alienis periculis cavere sibi vellet. Quanquam enim Præservativum, uti appellamus, palmarium sit moralibus præceptis & institutione sancta in cordibus nostris firmata & radicata, duplex illa Christiana Virtus, *ABSTINENTIA ET JEJUNIUM,* & quod adumbrare id ipsum aliquo modo videtur, Stoicum illud: *SUSTINE, & ABSTINE;* nescio tamen quomodo intueri & respicere ad aliorum exempla interdum juvat: Senecæ certe si credimus, brevis hæc via est ad virtutem, longa quæ per præcepta ducit. Apud Traj. Boccalinum *d. Raggvaggli di Parnaso Cent. 1. raggvagl. 81.* reperi, quod, cum Celeberrimus Bononiensium Medicus Zecca in Parnasso divitibus pretio mediocri, pauperibus gratis arcanum quoddam promisisset, cujus ope omnem vim hujus luis eluderent, confluentibus plurimis nil præter effigiem quandam ostenderit, sed hominis noti antea, & pulcerrimi, jam vero per veneream luem naso misere mutilati. Itaque ut sanctorum defunctorum imagunculas in precationum libris circumgestare mos est Pontificiis, nec nostris puellis puerisque intueri picturas interdictum est; sic mihi persuaderem, huic Zeccæ similem imagunculam inspectam sæpius amuleti quandam vim hic obtinere posse ad refrænandum & reprimendum illum ardorem, qui vexare erectiores præcipue & nobiliores *(vid.Ballonium Cons. med. 28. l. 1.)* interdum juvenes solet. Nam ut fateamur verum, in hunc ardorem cœcum omnis rejicienda culpa est, nostrisque cupiditatibus & malitiæ nostræ nostras stultitias & mala accepta feramus: alios frustra culpamus, non Musices dulcedini vel cantui Sirenum, non conviviorum gaudiis seductionem nostram debemus, nisi secretiora quædam sodalitia quis innuere velit, a quibus cavendum sibi Poëta monet, dum canit: *Si vitare velis acerba quædam & tristes animi Cavere morsus, nulli te facias sodalem nimis, Gaudebis minus, & minus dolebis.* Sed nec Comœdia hodierna juste culpatur & Mimorum Scenæ quamquam nil fere præter suum amorem fingentes: nec Poëtarum veterum lectioni, ut nuper cuidam è Belgio Scriptori visum est, perversio nostra

imputanda, licet hisce hominibus frequenter nimis cantata sint, quæ nox & amor vinumque suadebant; licet & de iisdem recte legendis solliciti fuerint & anxii Plutarchus & Basilius, viri si qui ulli, philosophi & boni. Denique & frustra juvenum nostrorum peregrinationes culpamus, communi proverbio, *talia accidere iis, qui visitant Gallias & Italiam:* si vel esset verum, Salomonicis olim nautis ex Ophir insula pavones simiasque domum referentibus quosdam & hodie quoad partem similes reperiri: volebam dicere, qui auro exteris relicto palæstræ & cauponis, gestus novos & insolitos fastus domum deducunt. Utut sumus exoticarum rerum admiratores & contemtores indigenarum, Veneream saltem luem ultramarinis itineribus accersere non necesse est. Frustra itaque hæc omnia causantur: vera in nobismet ipsis hæret culpa, usque adeo, ut etiam mulierum genus, in quod strinxisse calamum quosdam perverse disertos videmus, fere liberet severus alioquin morum Censor Epictetus *cap. 55. Enchirid.* quem vide. Omnis itaque Præservationis cura huc collimare, & ad hanc in nobis vel extinguendam vel circumcidendam cupidinem respicere debet; cui sicuti non parum conducet, si quis perintervalla elevare mentem velit ad considerandum, quidnam sit illud, quo trahitur non raro animosa juventus, dum, ut ita dicam, microscopio, h. e. instrumento vitreo objecta in immensum augente intuetur id, quod Venerem vulgo adpellamus: sic & proderit matura inprimis ætate viris sæpe memoria repetere illud Plutarchi, *d. Inst. Puer. c. 1.* quo præcipit volentibus clarorum liberorum fieri patres, *ut non quibuslibet mulieribus cohabitent:* & quæ plura in hunc finem egregie ibidem philosophatur. Denique omnibus ad rei familiaris jacturam attentioribus Demosthenis illius, *v. Macrob. Saturn. l. 2. c. 2. & Gell. l. 1. N. Att. c. 8.* Laidem Corinthiacam, talentum dimidium pro nocte una stipulantem, respuentis, οὐκ ἀγοράζω τοσουτου μετανοῆσαι, resonare in auribus juvabit: omnium tamen efficacissimum mihi persuaserim, ad omnem ex animo gestientis libidinis tumorem auferendum, si quis decumbentium in Nosocomio ægrotorum tristissima exempla sæpius intueretur. Huc certe Sacræ Scripturæ dictum respexit Ecles. cap. 19. *Qui se jungit fornicariis erit nequam: putredo & vermes* (les morpions & la Verole) *hæreditabunt illum.*

Caput Quartum.

Prognosin & Remediorum brevem continet catalogum.

Ad Medicos redeo & alteram Dissertationis partem, ut curationi scilicet morbi memet parem, modoque militari ad cognitum jam hostem debellandum quasi accingar; primum traditurus Medicorum circa prognosin regulas præcipuas, tum auxilia enumerabo, quibus instructi obviam ire serpenti veneno Antiquiores Medici conabantur: tandem methodum referam, quam in lue curanda publicis receptam Nosocomiis, vel probatis Autoribus descriptam legipartim, partim ipse vidi. Prognosin itaque quod adtinet, hæreditarium malum esse incurabile Medici fere omnes uno ore fatentur: sola igitur hic palliativa dicta cura restat, ante omnia molli & blanda diæta, ne unquam exasperetur sanguis, curet Medicus. Tum vitanda sedulo omnis est occasio, qua sopitum malum excitari posset, omnemque adeo fomitem huic lethali futuro incendio tempestive subtrahat, veneri valedicat æger, seipsum damnet ad votum castitatis perpetuæ, vel si conjugium ineundum est, accuratus instituatur delectus, non in nutrice solum, sed & si fieri potest, conjuge, neque attendendum hic est ad illam regulam, quæ jubet, ut pari nubamus. Evitandi etiam morbi sunt lui aliquo modo confines, ne ex hujus mixtura cum Scorbuto e. gr., vel Phtisi, vel Calculo progenies exsurgat, merito exclamatura: *Nos miseri pulli nati infelicibus ovis.* Ex hoc certe fonte copulationis promiscuæ plurima redundant in familias mala, quorum originem veram vel ignorare Medicus cogitur, vel inquirere in illa non audet. Reddit & hoc morbi curam difficilem, si cum alio morbo chronico gravi complicetur; præcipue Vulnerati & hac affecti lue nunquam recte sanantur â suis vulneribus, quod Martis castra sequentibus & ardentioribus interdum in vagam venerem notari meretur. Si viscera ipsa male habeant, si æger exstiterit hecticus, omnia desperata sunt: nec enim morbum feret brevi periturus, nec remedia, laude quidem sua digna, sed tamen non sine quadam violentia venenum debellatura; hinc qui sanati iterum lue inficiuntur, vel qui mercurialem curam sine successu passi sunt, difficulter curantur, emaciatis ægris evacuationibus plurimis &

diuturnitate morbi fracto corpore. Ante omnia respiciendum est ad gradus istos supra recensitos. Si jam nodus aliquis licet levior adsit, *(si on voit certain cordon qui vient au front, & qui commence par l'impression, que fait le chaupeau & qui ne s'efface pas,)* imo ubi tumores & gummata jam ossibus diu adhærent, rubescente super ista loca carne ad instar partium frigore læsarum, si manifeste denique caries ossa adfecerit, *(& la Veroleait desja ronges les os,* malum curatu erit longe difficilimum. Et licet curatus appareat morbus, remanente occulta alicubi carie, recidivat. *vid. Hild. C. 5. Obs. 95.* Ergo quo citius malo occurritur, eo facilius curatur. Panarollus Romanus Medicus ingenue *p. 3. Obs. 3.* testatur, hujus curam ante sextum mensem non adornatam, nullius esse efficaciæ. In robustis corporibus & facile transpirabilibus cura facilior: lentus alioquin & diuturnus morbus est, ægri præterea morosi utplurimum, præcipue cum mala, quæ curata sperabant, recrudescere sentiunt.

His itaque præmissis, qnid agendum præcipue Medico sit, quæritur? Nobis, descripto jam satis difinitoque morbo, promta est responfio, virulentum & ad acorem vergens fermentum corrigendum esse: viscidum illud, cui inhæret, dissoluendum esse: utrumque evacuandum esse; tandem partes læsas esse consolidandas. Quæ omnia utut clare sequantur ex ante adfertis, & ex Autorum probatorum consensu sibi satis constent, fuere tamen quidam, qui hæsitare hoc loco, ubi convenire maxime debebant, & dubia serere voluere, ex ignorantia recti vel perversitate principiorum, quibus omnis illorum Medica scientia nitebatur, vel, quod his pejus est, impudentia contradicendi: â quo ordine prope abesse mihi videtur, qui arcani cujusdam in hoc morbo remedii, quod sedulo tamen reticuit, possessor videri vult recens scriptor E. H. in seinem gründlichen Bericht von der neu-erfundenen Frantzosen-Cur: sine salivatione, sine sudore multo & purgationibus fundamentaliter se curare posse luem veneream malignam licet & exitiosam thrasonice gloriatus. Nec Heinsius, priori contrarius, dum in der schmachtenden Venus arcani sui antivenerei mentionem injecit, sed reticuit simul, aliud, credo, voluit, quam ut â Lectoribus ad arcanum illud nihil quidquam attenderetur.

Equidem oriente primum malo non convenisse inter se Medicos, nec de Remediis, nec de Methodo manifestum est, nequc mihi imaginor, Homeri *l 4 Odyss v. 456.* Proteum in tot se figuras

vertisse, quot anxii & trepidantes, uti decebat in tanto malo, Medici induebant. Nunc ubi per mortes multas & experimenta constitit de duabus curandi solemnibus viis, *Sudatione per decocta, & Salivatione* ope mercurii, non licere bono viro, persuaserim mihi, temere à recepta & communi via recedere. Istos itaque modos describam cum suis circumstantiis, ubi paucis prius celebrata quædam Antiquioribus remedia dilucidavero.

Purgationes continuas & violentas instituerunt Antiqui, quod ut ad viscositatem aliquo modo respicere videbatur, ita ægros affligere plurimum necesse erat. In Venæsectionibus frequentes erant, quod itidem non nisi debilitare ægros poterat , utut interdum prodesse videbatur, vel in sanguineis corporibus, vel calidis. Absinthium & Aloëtica adhibebant, quod acori quidem contrarium etiam viscositati esse poterat, huic tamen nodo tam levis cuneus non sufficiebat, quod itidem de Colocynthide videtur esse sentiendum, pharmaco licet amarissimo & Helmontio pluribus laudato. Reperti etiam sunt, qui Citrium succum huic virulentiæ opponerent, quos inter Fracastorius, *Lib. 2. Siphylid.* & quidni? nam & Maroni, *Lib. 2. Georg.* Poëtæ saltem summo contra toxica laudatur: *Media fert tristes succos tardumque saporem Felicis Mali, quo non præsentius ullum, Pocula si quando sævæ infecere novercæ, Miscueruntque herbas & non innoxia verba, Auxilium venit, & membris agit atra venena.* Erat & Theriacæ usus frequens, commune illud in venenis asylum, cui insistebant: quod lenire aliquo modo nocturnos dolores videbatur; sed præcipue decoctis suis pugnabant, solemni isto tempore in omni Cachexia remedio, ex rad. smilacis asperæ, Pimpinellæ, Saxifragæ, Succisæ, Lapathi flavi, Cichorei, Glycyrrhisæ, Scordii, Lupuli, Fumariæ, Agrimoniæ, Perficariæ inprimis, Conor. abietis fl. pruni silvestris, buxi fol. juniperi baccis, aliisque similibus compositis. Sedvani ut plurimum conatus fuere, utcunque adjuvare similia, ubi emendari forsan combinata debebat intemperies, videbantur. Pauperibus denique, ubi alia non suppetebant, ex Fraxini ligno & quernis corticibus, tamarisci, & juniperi, & alni scobe, fagi etiam, teste Fallopio, qualiacunque remedia propinabant. Cardano, sublimis ingenii Medico, *cit. Schröd. l. 5. p. m. 306.* viperarum carnes laudatæ fuere in decocto, inuncta exterius pinguedine, quas convenire leprosis jamdudum observatum fuerat, nec lepræ multum

dissimilis hæc lues videbatur. Cui conveniunt Aquilanus, Abbatius *d. Vip. fac, c. 20.* & Charas. *Tr. d. Vip.* Denique ut acri veneno aliud non minus acre opponerent, ad Cantharidum tincturam deventum est; â qua non multum discrepat, quam tradit laudatque Lister, Cochinellæ essentia: nam & hoc animalculum est ex insectorum genere, in vagina sua delitescens, & in Ostruntia ficu communiter reperitur, uti nuper descripsit Richter peculiari tractatu von den Concenille c. 3. Tandem ubi omnia hæc frustra fieri videbant, ad crudelia illa ferrum & ignes descendebant, Hippocratis scilicet dicto audientes jubenti: *Lib. 7. Aphor. 64. Quæ Medicamenta non sanant, ferrum sanat, quæ ferrum non sanat, ignis sanat.* Unde factum est, ut vitæ plane tæderet ægrotos, inter carnificum tormenta & longissimas Medicinæ moras protractæ, adeoque illis levius esset ægrotasse, quam sanari, ut cum Poëta: *Graviora morbis patimur remedia, Nec tanti vita est, vivere ut possis, mori.* Sed ne prolixitate mea tædio sim, Guajaci tandem lignum & Argenteum vivum duo illa præcipua fuere, ad quæ fluctuantes Medici quasi quandam anchoram sacram confugerent. Quod primum adtinet, Indi ipsi indico huic ligno præcipue confidere solent, utcumque tenellas Chinæ radices cum elixis carnibus comedere barbaros, scribat Palmarius, *l. 1. c. 14.* Sarsaparillæ etiam radix illis in usu sit. Nostris hominibus quamprimum animadversa hujus antidoti vis fuit, sanctum illuddixere, idque avide amplexi sunt; quasi beneficio quodam Numinis singulari contigisset, ut quibus terris fœdam Luis originem exprobraremus, illis ipsis etiam deberemus remedium. Fracastorius eleganter: *Lib. 3. Siph. ad fin. Salve magna deum manibus, sata semine sacro, Pulcra comis, spectata novis virtutibus Arbos, Spes hominum, externi decus, nova gloria, mundi. Fortunata nimis, natam si Numina tantum Orbe sub hoc, homines inter gentemque Deorum Perpetua sacram voluissent crescere silva. Ipsa tamen, si qua nostræ te carmine Musæ Ferre per ora virum poterint, hac tu quoque parte Nosceris, cœloque etiam cantabere nostro. Si non te Bactra, & tellus extrema sub Arcto , Non Meroë, Libycisque Ammon combustus arenis, At Latium, & viridis Benaci ad flumina ripa Audiet, & molles Athesi labente recessus.* Argenti vivi in Medicina usum, scabie præcipue & impetigine, & vitiligine Saraceni Medici & Arabes primo introduxere, fatentibus id ipsum Montano *Cons. m. 350.* & Palmario. *d. Hydrarg. c. 2.* Adeoque quorum imperii nulla in Europa exstare vestigia vel rudera passa est Christiana gens, horum tamen monumentis & scriptis humanum genus tanti momenti beneficium acceptum ferre debeat. Hujus autem metalli in Lue curanda, efficacia secretissime primum habita fuit, unde contingere facile potuit, ut, confluentibus undique ad unum vel alterum Medicum ægrotis, hi soli mercedem operis sui & præstiti beneficii acceperint amplissimam, quam posteris illorum fortuna minime indulsit. Capivaccius Italus, Professor Patavinus, gloriatur, se ex sola venereæ luis curatione octodecim millia Coronatorum fuisse lucratum. Et Jacobo Carpensi, Bononiensi Medico, qui inter primos luem per mercurium curandi methodo usus est, quadraginta millia scutorumaureorum præter argenteam materiem relicta fuisse ex sola hujus morbi curatione collecta & Duci Ferrariensi testamento legata, docuit me Fallopius. *d. l. c. 76.*

Caput Quintum.

De Cura Sudorifera & Salivatione Mercuriali.

Ubi sudatoria cura instituenda est, sequens vel simile paretur decoctum: Rec. *rasuræ ligni sancti uncias tres ad sex, corticis ejusdem unc. unam semis ad unc. duas, rad. Sarsæpar. unc. unam vel unc. unam semis ad unc. duas, rad. Chinæ vel rasuræ ligni sassafras unciam unam, Mercurii vivi per alcali depurati & in petia ligati, Antimonii grosse contusi & in petia ligati ana lib. s. ad lib. i. infundatur in aquæ communis mensuras sex ad duodecim, macerentur per viginti quatuor seu quadraginta octo horas in Mariæ Balneo, hinc coquatur ad remanentiam tertiæ partis. Colaturæ detur, signetur:* Blodrenande Swettdryck. Dosis unciarum quatuor ad lib. s. *Jam recipe remanentiam decocti hujus, infundatur denuo in aq. communis mensuris novem, maceretur per 12. horas, decoquatur ad comsumtionem tertiæ partis, in fine addendo passular. minorum conquassat. unciam unam s. sem. Coriandri dr. 6. vel unc. i. rad. liquirit. Polypodii ana dr. 6, Cinamomi dr. iii. colaturæ detur pro Bocheto, signetur:* Dagelig Dryck. Video quidem alia in horum locum â Medicis interdum substitui, ligni juniperini

rasuram, lentisci, buxi, radicis bardanæ in taleolas discissæ, rad. petasitidis, herb. saponariæ cum toto, item hyssopi, veronicæ &c. Sed hæc una formula tradita sufficienter illa omnia efficiet, quæ sperari ab aliis possent. Præmisso itaque digestivo, & hinc usurpatis Pilulis purgantibus, æger de hoc decocto mane per aliquot dies haustum calide adsumat, & adsuefacto paulatim corpore huic remedio, etiam vesperi duabus vel tribus horis ante cœnam haustus repetatur. Et sudor plus minus excitetur prout ægri habitussuccolentior, vel vires ferunt. Sudor per horam protrahatur in initio, post etiam ultra adscendat. Semper calida sudorifera aut cum calidis vehiculis adsumantur, & imminente sudore jusculum calidum exhiberi proderit. In pueris dosis uncias tres vix transcendat, in adultis ad lib. s. adtingat. Ad sudorem autem nunquam cogendi ægri sunt, nisi postquam humores dispositos vel ad id præparatos observamus, ne, tenuiore discusso sero, relinquantur visciditates crudæ h. e. vix mobiles. Ut autem sudor majori cum euphoria fiat, 30 vel 40 guttæ sequentis Essentiæ decocto instillari possunt ex consilio Woyte: *d. l. §. 7.* Rec. *Balsami Copaiv. unc. j, resin. l. sanct. dr. ij, l. sassafr. dr. s., Cinamom. ac. Scr. j, Sal. Tart. Scr. j. s. Sp. Vini unc. 5.* Sudor impositis stragulis adjuvetur, vel, quod præstat, stuphas seu æstuaria ingrediatur, quibus æger insidere potest, Balnei calorem vel siccum parando cum Sp. Vini accenso in paulo habitioribus, vel humidum cum evaporatione aquæ calidæ scoriis metallicis candefactis vel ignitis silicibus superaffusæ, uti præscripsit Cl. Practicus Ettmüllerus *cap. d. Lue Vener.* & Holmiæ instituta vidi in balneis Laboratorii Chymici Insulæ Regiæ ex ordinatione Viri Nobilissimi & Archiatri D. URBANI HIÆRNE. Ubi autem sudor aliquamdiu profluxit in æstuario, æger lecto calido committatur, & paulo post sudor probe abstergatur, aërem frigidum quantum fieri potest, sedulo vitando. Sed & linteamina sæpius mutanda, & quæ imprægnata sudore fuere, acri lixivio eluenda & libero aëri exponenda. Quolibet interim quarto vel ad summum septimo die purgans remedium interponatur usque ad curationis terminum: terminus autem est, quo omnia symtomata Gonorrhææ & Condylomatum remota fuerint; adeoque subinde à quatuor ad sex septimanas cura hæc continuanda plus minus pro vehementia morbi vel sudorum copia. Victus moderatus sit, ex carnibus magis assatis quam coctis, in progressu parcior instuendus; vesperi passulis aut similibus loco cœnæ sit contentus æger; potus sit decoctum secundarium supra descriptum. Conveniet autem hæc sudoriferacura præcipue in viscosa & crassa sanguinis intemperie: nam in Melancholicis salivatio periculosior est. Respexit etiam Ettmüllerus ad corporum constitutionem diversam pro ratione Climatis & victus, & facilius longe salivare Gallos quam Germanos suos adserit: demumque concludit, præstare utplurimum utrumque modum conjungere, si non alia de causa, certe ut sudoriferis & decoctis liquefiant contenta, & permeabile ac transpirabile undique corpus reddatur, unde per mercurium postea felicius salivatio instituatur. Neque diversa plane est ab hac methodus, quam ut novam tradit Piso *d. l.* in Indiis fieri solitam: per primos quinque vel sex menses morbus quasi negligitur, intra quod tempus viscositates digeri debeant, ægri temperanter vivant, lavacris utantur calidis, frigus vitent, vinum bibant, recentes edant carnes, pisces fugiant. Præparato sic corpore pauperes ad molendinas saccharinas, ignesque luculentissimos amandantur: ditiores vero ex solo decocto arboris Caoroba & Carcaparilla parato curantur. Ulcera attritu vel lotione ex eadem Caoroba tollunt, ejusdemque arboris folia nunc pro balneo decoquunt, nunc ore jejuno masticata ad ulcera per se non evanescentia usurpant; omnia recte modo sufficiant: sicut & id laudandum, quod in Indiis venereos dolores sedari nicotianæ fumo per tubulum excepto ex Fragosio refert Möllenbroccius, *d. arthr. vag. c. 14.*

Sequitur de Mercuriali & Salivatoria cura, quæ hactenus diversa est a præcedente, quod per salivationem ex peripheria & artubus ad centrum moveantur contenta maligna; (vias detectas Clarissimis vasorum Lymphaticorum inventoribus grati debemus) sicuti contra per sudores ex centro ad peripheriam eadem distribuuntur. Huic autem methodo plurimum reperio probatos etiam Medicos sese in initio opposuisse, ut fieri solet in rebus novis, ubi viros alioquin egregios non raro ex occulta forte invidia, quod ipsi non primum vel cogitarunt vel animadverterunt, prolatum ab aliis ægre ferre videmus. Non quod adseverari liquido possit, vivumArgentum & tuto, & facile, & ubique juvare, vel quod ad ejus usum liceat descendere Medico, antequam suum ægrum præmonuerit aut interrogaverit, num ulterius infectus esse malit, quam cariosis ossibus postea per curam separatis, parte quadam corporis mutilari; sed quod inter diversissima hactenus in morbi cura tentata, vivum argentum plurima bona præstitisse evicerit experientia. Nec hodie quisquam ambigit, nisi ex Aliptarum

forsan genere, Mercurialem curam rejiciens in speciem, qua subdole tamen & sola interim utitur: imo Medici omnes aperte fatentur, argentum vivum huius Luis esse genuinum alexipharmacum & specificum, non eo quidem sensu, quo veterum schola huic vel illi visceri sua destinabat specifica, sed quod universale hoc, si ullum aliud, nec acidulis exceptis, nec illa ipsa quam hactenus quærunt panacæa, & per omnia corporis puncta trajiciens medicamentum viscosum acidumque hæsitans & rodens morbi virus aptissime propellere & excutere sibi firmiter persuadeant. In alia itaque rejici culpa non Mercurium præcise debet, quod Palmarius, *c. 6. l. 1.* cum Fernelio *c. 6.* dysenteriam lethalem hinc ortam observarit, & Capivaccius tremores, paralysin, surditatem, cœcitatem, deliria & nervorum convulsiones ex Cinnabaris abusu secuta animadverterit: quibus Zacutus *H. med. 73. qu. 40.* consentit, & præterea Montanus *cons. med. 352.* Epilepsiam, Rudius *c. 15.* apoplexiam ex mercuriali unguento notarunt; unde Guarguantus *c. 19.* inunctionem talem diabolicam adpellat, & Montanus *cons. 350.* Pilulas præcipitatas in mare præcipitari jubet, ut numquam inde emergant.

Est autem duplex argenti vivi adhibendi ratio: prior per externam inunctionem. Neapolitanum morem dixere; posterior eundem salivæ fluxum sed per interna remedia concitat, idque tutius, ut plurimis hodie Practicis videtur, utpote cum priore isto modo in potestate Medici non sit, ut salivatio sequatur vel moderatior vel violentior. Inunctioni autempræmittere solent evacuationem primarum viarum per vomitum, vel per secretum, ne postea colluvies ista vel efficiat angustias præcordiorum, vel in suffocationis periculum ægrum inducat. *Conf. Hildan. c. 5. obs. 92.* Solent & balnei usum adhibere in Nosocomiis nostris, ut densam cutem facilius postea subeat metallum illitum: etiam venæsectionem, ubi videtur illa necessaria. His itaque cæremoniis præmissis paretur linimentum sequens, si Sennertum *Lib. 6. Prax. part. 4.* sequi libet: Rec. *☿ii vivi purif. unc. 6, adipis suilli non saliti Lib. j.* Extinugatur cum adipe suilla ☿us, & exacte misceatur in mortario lapideo. Jam adde *Medull. crur. bovis unc. s. Terebinth. unc. iij, 0l. dest. Terebinth. unc. j.* m. f. unguentum. d. s. Resolwerande Salfwa. Hujusmodi fere unguento inungantur plantæ pedum ac manuum volæ, hinc tali & carpi, tum genuum, cubitorum & humeri flexuræ; abdomen vero, pectus & caput non inungenda esse propter funesta symtomata subsequentia jam sæpius experientia, illa stultorum etiam & temerariorum magistra, docuit. Inungat autem sese æger lecto calido & prope fornacem mane & vesperi, & inunctione peracta membra linteis obvolvantur vel papyro, & æger lecto calido probe rectus recubet leniterque madeat. Pro singulo litu unciæ duæ vel tres absumantur. Pro cura integra sufficiunt unciæ quatuor, vel quinque Mercurii: nam ad sex vel septem adscendere uncias vix licet. Post quartam vel quintam inunctionem fere sequitur salivatio: tunc matutina solummodo inunctio sufficiet, donec ptyalismus rite procedat. Si per aliquot dies noctesque continuata inunctio anxietates solummodo & Lipothymias movet, recte & probe monet Zacutus *Pr. adm. obs. 135.* ab hac desistendum esse, & cum sudoriferis pergendum. Vel trochiscis sublingualibus promoveatur fluxus, jubente id Ettmüllero, vel Scr. s. ☿rii dulcis propinetur, vel sudorifero moveatur cessans illa humorum ineptitudo, vel denique vomitorio exhibito, notante id ipsum Riverio. *C. 1. obs. 77.*

Imminentis autem salivationis hæc indicia sunt: Alvussupprimittur, labia tument, gingivæ & tonsillæ, & reliquæ in maxillis glandulæ distenduntur & dolent. Odor gravis & fœtidus, dum respirat, percipitur. Tum oris exulceratio, stupor dentium & vacillatio, erosio gingivarum, linguæ insignis tumor, cum nausea & anxietate præcordiorum succedit. Et ubi salivatio rite procedit, spatio nycthemeri libræ fere quatuor exspuuntur, adnotantibus Sydenham & Pechey. tum nodulus strophioli muria intinctus dentibus interseratur, ut ita, hiatu oris patente, liberius saliva somni præcipue tempore defluat. Salivatio per 20 dies interdum & ad quatuor septimanas continuetur, in specie attendendum, donec post fluidiorem & tenuiorem lympham ultimo etiam viscida, fœtida & glutinosa excernatur, quæ muci spissioris forma parietibus vasis agglutinata hæret. Linteamina sæpe permutanda sunt, ne priora unguento infecta salivæ cursum, Medico ad id non attendente, plus justo intendant. Victu parco & moderato utatur, jusculis ex pane biscocto paratis, interdum ovo sorbili, potu ex cerevisia tenuiore. Vino plane abstineat. Nam ubi plus comedunt ægri, non tam e latibulis ros nutritivus Antiquis dictus solidarum partium, acido venereo infectus, sub salivæ forma prodit, quam potius alimenta adsumta & in chylum digesta excernuntur, uti docet Ettmüllerus. sed & acida vitent in victu, & aëris frigus ante omnia fugiant: his enim salivatio subito

imminuitur cum maximis præcordiorum angustiis & aliis symtomatis gravioribus. Alvi obstructio contumax , quæ sæpe comitatur, relinquatur sibi. Oris exulceratio tepido lacte vel raparum decocto & succo foveatur. Contigisse retulit, quem antea nominaveram, Stockholmensis Chirurgus J. DAHM, Ægroto, nescio qua de causa salivanti, fluxu vehementissimo, licet ☿o modice exhibito, ut intumescens lingua non solummodo jam vix poterat ore contineri, sed & erosis sanguiferis venis intra viginti horarum spatium quatuor fere libræ cruoris effluerent; ægro usque adeo debilitato, ut lecto se vix movere posset. Chirurgus illa, quæ vulgo præscribi gargarismata solent, adhibere noluit, ne sufflaminaretursalivatio; penicillo itaque vitriolo munito illa solummodo tetigit orificia & loca, quæ sanguinem fundebant. Sublato sic hoc impedimento, peracta rite fuit curatio, & æger sanitati restitutus. Si itaque copiose & cum inflammatione faucium, erosione, & suffocationis periculo urgeat ptyalismus, tunc moderandum fluxum docent Practici sequentibus medicamentis, scilicet per secessum ducentibus, aut injecto enemate, & frequenti oris abluitione nocte dieque adhibenda. Rolfincius, clarus Anatomicus & Practicus, in nimia salivatione aureos nummos ore detinendos exhibuit, quibus brevi ex adhærerente mercurio albescentibus, alios ori imposuit, & hac ratione moderata salivatio fuit: adhibitis partitis simul vicibus Laudano Opiato.

Propter hæcce pericula non raro comitantia Mercurialem inunctionem, factum est, ut de Medicamentis intro adsumendis Medici cogitarent, quod & certa dosi exhiberi & facilius regi possent. Aliis alia placuere, quibus tamen, ut meum hic interponam judicium, nec convenire puto nec requiri. In figendo mercurio plurimum laborarunt, salibus præcipue diversis rodendo, & per præcipitationem postea separando eundem, etiam additis metallis, quæ sine dubio propius ad argenti vivi naturam accedunt & longe intimius illi miscentur. Cui theoriæ superstructum videtur, quod Ucay aperte laudat locis pluribus, sed verbis occultissimis describit Præcipitatum Solare. Ut taceam celebratam Gallis Panacæam universalem dictam, Parisiis ad curationem diversarum luis venereæ specierum adhibitam sæpius probatamque in magnifico illo Palatio & vere Regio Nosocomio emeritis mutilatisque militibus Gallicis dicato, vulgo *Aux Invalides,* publico post languentium bono typis vulgatam jussu LUDOVICI MAGNI, bellicis non minus expeditionibus quam artibus pacis & longo demum ac felici regimine Regis Gloriosissimi. Id observatum sæpius est in utraque cura, facile alios, alios cum difficultate ad ptyalismum moveri. Holmiæ haud ita diu cuidam fungus ingens in tibia anteriore excreverat: tetigitDAHMIUS locum aliquoties remedio ex præcipitato & sublimato mixto, & secuta est perfecta salivatio: æger integre convaluit, facta ossis exfoliatione magnitudine Carolini nummi. Idem sutoris uxorem venereo ulcusculo circa nares adfectam, fœtore insigni & exeso jam septo medio, docuit penicillo locum adfecum adtingere imbuto melle rosato, cui infuderat guttas aliquot solutionis mercurii vivi cum Aq. forti; post unum vel alterum diem intumescere facies tota, & saliva fluere continuo cœpit. Jussit Chirurgus, ut calido cubiculo non excederet, sed lectum servaret, ulcus interim Syrupo, uti cœperat, pergeret inungere. Salivatio per tres integras septimanas rite processit, post ægra convaluit, valetque. Sed non tam facili negotio id obtinuit Idem in restione quodam triginta annorum. Hic omnibus membris ita erat captus, ut nec ipse cibum capere, licet erat appetitu non prostrato, nec commovere sese in lecto posset, impetigine præterea & scabie ulcerosa & crustosa ita undique â capite ad calcem obsitus & vestitus quasi erat, ut nulla integra pars, ne quidem quæ extremo tegeretur digito, superesset. decidebant per intervalla crustæ, cute subtus sicca, sed quæ brevi erumpentibus dense guttulis exilibus madere primum, post ad pristinum abiret habitum. Hic jussu Magistratus in Nosocomium ineunte vere delatus, reliquis salivaturis adnumeratur. In eum finem unctus fuit, sed frustra: interpositis aliquot diebus, exhibetur illi à Chirurgo minerale turpetum, idque in Electuario, ut solveretur certius; datur Mercurius dulcis, sed cum omnia adhuc essent quieta, sublimatum aquæ magna copia solutum. cum ne sic quidquam proficerent, jamque tædio medentibus esset, & ægris reliquis gravis, Cinabarino fumo tentatur, sed nec illo emotus fuit. Dissolverat Chirurgus dr. j. mercurii vivi in dr. ij aq. fortis, hanc mixturam aqua dilutam gustare jubet, quod acceptum aliter totum hausit. Quo facto, contorquere sese miserandum in modum æger cœpit, seque vivum exuri clamare. Sed paratam habebat Chirurgus muriam calidam, qua copiose hausta frequentissimi,uti par erat, vomitus secuti sunt, & rejecta fuit materia coagulato lacti per omnia similis; hausta pluries muria, serosi vomitus sequebantur, ultimo tenue quiddam & aquosum fundentes. Persuadebat sibi Chirurgus mucosam hanc materiam totam obduxisse concavam ventriculi superficiem, unde mercurio hactenus in sanguinem ingressus præclusus erat: nam altero post

hanc expurgationem die salivatio incœpit, quæ tam vehemens fuit, ut periturum hominem omnes judicarent. Per 24 dies continuus ptyalsmus urgebat; sexta tandem septimana obambulare cœpit, crustis jam omnibus exuviorum instar delapsis, cute integra, sed nitente & paululum subtumida, læto interim ægro: quem rustica lyra suum sociorumque mendicantium tempus fallentem sæpius in Urbe vidimus. Miror itaque facilem similis fere casus curam nominato sæpius Ucay memoratam *p. 76. & seqq. J'ay veu une fille, qui estoit couverte par tout son corps de dartres avec des croustes d'un doit d'epaisseur, & larges comme la main, laquelle ne pouvoit jamais guerir, je la traitai par les bains, le petit lait, & le mercur, sans luy donner le flux de bouche, & dans cinq semaines elle fust entierement hors d'affaires.*

Possem plurima huc facientia accumulare; sed cum spectent decumbentium lectos magis quam subsellia disputantium, instituti memor silentio involvam: sicuti & tertium illud remedii genus, quod in consolidatione lacerarum partium per Balsamica dicta supra consistere innuimus, festinanti & respicienti ad crescentis Dissertationis molem præterire liceat; Terebinthinam & juniperinum gummi & olea inde parata diversaque sulphuris Balsama & Guajaci Resinam, & de Tolu Balsamum, & Myrrham similiaque nominasse contentus. Mercurialis tamen hujus efficaciæ & agendi modi explanationem Theoretici desiderabunt. Nam omnes fere, qui de hoc argumento commentati quidquam sunt, etiam in explicando hoc mutabili metallo, & Chymicis in offensionis quasi lapidem â natura posito periclitari vires suas voluerunt. Equidem elementa Argenti vivi tradere supra vires meas esse, lubenterfateor: num inventus adhuc aliquis sit, qui tradere posset, ignoro; nec inter Autorum, quos evolvi, discrepantes sententias circa Chymicam Mercurii analysin, quam aliis liquido præferrem, reperi. Fallopius *c. 16.* Mercurium miraculum naturæ adpellat, Fernelius *c. 7.* frigidum & siccum, Fracancianus calidum, *c. 7.* Rudius *c. 15.* calidum & siccum, Palmarius *d. l. c. 6.* frigidum & humidum adferunt Mercurium. Sic Veteris Scholæ Alumni. Recentior Philosophia, quæ planam in omnibus viam promittit, utut evidens in principiis primis sit, in specialibus tamen hæsitat interdum, hunc certe scrupulum amoliri plane non valuit. Dolæus, diversa hodiernorum inventa discrepantesque sententias sibi cognitissimas habens, ubi ad Mercurii deventum naturam est, acidum esse illum pronunciat. Idem Sylvio *d. Meth med. l. 1. c. 13. §. 49.* videtur. Idem tenet Ucay. Daëlmannus vero tantum abest ut his consentiat, ut potius Mercurium omnium Alcalium regem appellet, ex hoc præcipue fundamento, quod contraria contrariis optime curentur. Lister antiquis propior, ex frigore mercurii vult fieri salivationem, quo tonum suum vasa lymphatica amittant, ut lympha in illis coacervata nec retenta jam, per os effundatur. Sed nec capio, quæ fidenter adserit Ucay: *Personne n'en peut douter q'il ny ait dans le Mercur beaucoup de fel, beaucoup de soufre, mais metallique incombustible & encore une terre subtile & volatile, une eau metallique, qui le rend fluid, & un esprit qui est son propre Mercure.* Maxima probabilitas illorum comitatur opinionem, qui mutari argentum vivum in corpore ægro judicant ex occursu salium in sanguine existentium, adeoque mercurium evadere diureticum *vid. Purm. c. 2.* si invenerit sal alcali, quo mixtus præcipitetur & per urinam exeat: si salem volatilem sibi obviam habuerit, fiat sudorifer; si salem & acidum, his admixtus cum pituita os versus feratur. Et Blankardus *von Span. Pocken p. 187.* mercurium abire in compositum quoddam autumat, officinarum sublimato haud absimile. Purmanno item attrahere ☿um acria spiculisque hispidum reddi & corrosivum, videtur *c. 2.* Equidem cogere eundem ante se & salia & viscositates invasis lymphaticis & alibi stagnantes, clare percipio,adeoque hinc referre posse ☿rii globulos ob prominentes & exstantes salium cuspides radiantes quasdam stellulas, si placet; ita tamen misceri illis modico humani corporis calore, ut in Sublimatum abeant, non est credibile, multo minus distrahi ab invicem intimiora ☿rii principia; quæ, si quæ sunt, ita concatenata & innexa sibi esse, observamus, ut innumeris fere officinalibus ☿rii præparationibus, tamen non solvantur, sed ex omnibus illis idem denuo, quod ante fuerat, currens vivumque metallum facile educatur: quin potius crudum oberrare eundem in humano corpore, tum aurei nummi eo tincti docent, & repertus sæpe ☿us in dissectis post mortem cadaveribus, observatus manifeste tum aliis tum nominato Purmanno, inter rejecta ægrotantium sputa in Nosocomio Uratislaviensi S. Jobi. Intellectu itaque videtur mihi facilis & simplex in se, & obviis notisque superstructa experimentis, & salivalibus phænomenis sufficiens hypothesis, quam debere me CL. PRÆSIDI lubens profiteor: Humani nimirum corporis tubulos & vasculosam texturam vivum argentum transire, non aliter ac in pharmaceuticis officinis per coria cogi eundem quotidie videmus, divisasque hasce

calore guttulas volubiles facile trahi ac per omnia membra deduci â torrente sanguinis, plurimum adjuvante progressivum hunc globulorum motum *illa membranarum, ex quibus vasa & tubuli omnes constant, contremiscentia, omni momento & per corpus universum excitata à sensu ponderosi & insoliti & frigidi metalli.* Et quemadmodum in iisdem Pharmaceuticis officinis videre licet, & ad altiora trahi similitudinem nihil impedit, anfractuosos tubos in destilatoriis vasis arena aquæ mixta elui, ubi minus nitidos esse eosdem contingit; ita concipi potest, quomodo & hic metallicus vapor h. e. infinita globulorum multitudo celeriter trajiciens glandularum gyros & vasorum longitudines, omnia loco movere & ad publica dicta emunctoria deducere debeat, salivaria quidem vasa utplurimum, sed & interdum ad intestinales glandulas, sicut in Nosocomiis Parisiensibus Lues curata per continuatas dejectiones observata frequentius est, retulitque in sua de Methodo Gallorum Salivatoria Descriptione Vir Clarissimus Bernhardus Valentinus in de Polychrestis Exoticis. Tantum.

SOLI DEO GLORIA. Ad Virum-Juvenem Humanissimum

Dn. JOHANNEM LINDER,

Medicinæ Studiosum, Wermlandum,

De LUE VENEREA egregie disputantem

ἐκφώνησις Gratulatoria.

Candide, concordes inter numerande Sodales, LINDER, & æterno fœdere juncte mihi: Olim in Fennonicis tantum bene cognitus oris, Nunc quoque de nostris nosceris usque locis. Scilicet ingenuas Te scire fideliter artes, Conspicit Aonii turba novena jugi. Et quantum Medicæ tribuisti sedulus arti, Sustinet ingenii nobilioris opus, Quo tua Siphylicas describit pagina clades, Vulneraque ex bello Cypridis orta docet. Perge bonis avibus! sed quo Te pergere jussi? Nam retrahit celerem res tibi curta pedem, Attamen incoctum generoso pectus honesto Numina respicient, auxiliumque ferent. Non volo pauperiem meminisse, tuosque labores; Hoc volo sed tantum dicere: Salvus eris. Nunc quia constituis peregrinas visere terras, Et procul à nostris dissita regna focis. Sit tibi, sit felix iter, atque in corpore sano Mascula mens, nullis immaculata malis: Sicque Machaonia fueris dum clarus in arte, Sertaque jam nitidas implicuere comas; Te patriæ fidum, morbosque fugare peritum, In patrios revehat panda carina lares!

Scribebat, qui tuus ex asse

ANDR. WICKNER, Werml.